



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXXX. De vsu, seu sumptione huius Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Ex quâ antithesi inter culpam venialem & penam satis patet D. Thom. art. præcedente velle Eucharistiam delere culpam venialem non solum mediâ, seu per gratias præuenientes excitando; sed etiam immediatè ex opere operato, alioquin nulla esset diuersitas inter remissionem culpæ venialis in hoc Sacramento, & remissionem penæ.

Ex eadem doctrinâ patet D. Th. censere peccatum veniale aliquando remitti remanente integrâ penâ ratione illius debitâ.

Notandum ex eo quod hoc Sacramentum non sit institutum ad satisfaciendum, non videtur sequi non operari remissionem penæ. nam etiam baptisimus per se loquendo non est institutus ad satisfactionem (scilicet directè) sed ad deletionem culpæ originalis & actualis, & tamen per illum tollitur pena peccatis debita ex opere operato. similiter etiam aliquid penæ peccatis venialibus debita tollitur per penitentiam ex opere operato, antequam accedat satisfactio, non videtur ergo quidquam obstat, quod minus per hoc Sacramentum remissa culpâ veniali aliquid penæ remittatur, ut aliqui sentiunt.

Obiectio. Dices non sunt instituta duo instrumenta ad penam ex opere operato remittendam, cum ergo per sacrificium pena ex peccatis relicta remittatur ex opere operato, non debet dici remitti per hoc Sacramentum.

Resp. Resp. dist. consequens, nam si intelligatur, quod non debeat per se deleri, & independentè à remissione culpæ, concedo consequentiam, quia non videtur pena ex peccatis iam ante remissis relicta deleri per hoc, vel etiam penitentiam Sacramentum: si verò intelligatur quod nunquam remittatur quidquam penæ, dum remittitur culpa venialis, cui annexa est huiusmodi pena, nego consequentiam, & ad antecedens dico, quod licet non sint instituta duo instrumenta ad penam immediatè delendam, tanquam ad suum effectum primarium, institui tamen possint duo, quorum vnum directè illam deleat, alterum verò ex consequenti, ut patet in baptismo. videtur autem, quod Deus remittens culpam venialem in hoc mundo semper aliquid penæ illi debita condonet.

Videtur
Deus remittens culpam venialem aliquid penæ condonare.

Nec obstat quod pena remanens post peccatum non opponatur feruori charitatis vel augmento gratiæ, quia non dicitur remitti propter aliquam similem repugnantiam, sed propter rationem allatam.

ARTICVLVS VI.

Vtrum per hoc Sacramentum præseruetur homo à peccatis futuris?

Resp. affir.

AFFIRMAT: quod etiam quoad mortalia traditur à Trid. sess. 13. cap. 2. docente esse *mandatum*, quo à peccatis mortalibus præseruemur. id verò præstat partim per habitus infusos, quibus mens roboratur in bono, partim per gratias præuenientes, quibus excitamur ad actus deuotionis, charitatis, & vnionis cum Deo, partim per confessionem Dæmonis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum hoc Sacramentum profit alijs, quàm sumentibus?

RESPONDET, quod licet consideratum in ratione sacrificij alijs profit, in ratione tamè Sacramenti profit solis sumentibus, de priori parte infra agendum; posterior quæ est huius locis propria, patet ex eo quod Sacramenta suos effectus ex opere operato solis recipientibus ipsa Sacramenta conferant. Dixi, ex opere operato, quia satis constat communionem quæ est insignis religionis actus, & iniusto meritorio, posse alteri per modum impetrationis prodesse, similiter & per modum satisfactionis de congruo.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum per veniale peccatum impediatur effectus huius Sacramenti?

HIC articulus faciliè patet ex dub. 1. art. 1. vbi dictum est non impediri, peccatum tamen veniale, quod in ipsâ receptione committitur per distractionem, impedit actuale spirituale dulcedinem, quæ per hoc Sacramentum obtineri potest.

QVÆSTIO LXXX.

De usu, seu sumptione huius Sacramenti.

ARTICVLVS I.

Vtrum distinguì debeant duo modi manducandi corpus Christi?

RESPONDET rectè distinguì, alius enim modus est manducandi sacramentaliter, alius spiritualiter, vbi

Notandum illos modos ita posse accipi, ut vnus alium excludat, vel ut differant tanquam imperfectum & perfectum: nam possunt ita sumi, ut manducare sacramentaliter sit reipsa Sacramentum sumere, sed sine fructu spirituali, quâ ratione sumunt ij, qui indignè ad hoc Sacramentum accedunt, siue reipsa peccent, siue ratione bonæ fidei excusentur à nouo peccato. manducare verò spiritualiter dicatur is, qui desiderio & exercitio virtutum hoc Sacramentum appetit, quamuis reipsa non sumat. Possunt etiam ita sumi, ut manducare sacramentaliter sit Sacramentum sine effectu sumere, spiritualiter autem manducare sit illud ipsum Sacramentum cum fructu spirituali percipere, qui modus est perfectior. & quamuis D. Th. videatur hoc secundo modo intelligi, ut patet ex corpore & responsione ad 2. reipsa tamen neutro modo intelligitur, sed tertio, quo is dicitur spiritualiter manducare qui consequitur fructum Sacramenti, id est vnitur Christo per gratiam & charitatem, eique incorporatur, siue id fiat per realem susceptionem huius Sacramenti, siue absque Sacramenti receptione, pro quo rursus

Notandum manducationem spirituales varijs modis cōtingere. 1. si quis reipsa sumat hoc Sacramentum

mentum cum fructu. 2. si quis non sumens reipsa, accendatur desiderio ad illud accedendi. 3. dicitur etiam sumere spiritualiter per fidem in carnem Christi. 4. cum suscipitur in figurâ, quâ ratione Patres antiqui Testamenti comedentes manna de celo dicitur spiritualiter illud manducasse. 5. quando quis mystico corpori Christi incorporatur, quo sensu Aug. libro 1. de peccatorum meritis, cap. 20. asserit illud Ioannis 6. nisi manducaveritis &c. etiam ad paruulos pertinere, quos docet sine participatione corporis, & sanguinis Domini vitam in se habere non posse. videri etiam potest libro 3. cap. 4. unde ex illis & similibus locis Augustini colligi nequit Sacramentum Eucharistiae esse saltem in voto ad salutem necessarium, quia non vult rem in Sacramento contentam, ipsam scilicet corpus Christi, debere saltem in voto sumi, ut quis salutem consequatur, sed rem Sacramento significatam, rationem scilicet cum Christo & cum corpore eius mystico esse necessariam ad salutem.

ARTICVLVS II.

Utrum solius hominis sit hoc Sacramentum spiritualiter sumere?

AFFIRMAT; quamuis enim Angeli vniantur Christo per charitatem, non possunt tamen dici spiritualiter hoc Sacramentum manducare, prout spiritualis manducatio dicit desiderium sumendi Christum sub speciebus, sed hoc soli homini potest competere.

ARTICVLVS III.

Utrum solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare?

NOTANDVM ex D. Thom. aliquos existimasse peccatorem non manducare hoc Sacramentum, dicentes quod cum primum eius labijs admoetur Christi corpus, desinat esse sub speciebus; quam positionem docet esse erroneam. Itaque

Respondet non solum iustum, sed etiam peccatorem posse Christi corpus sacramentaliter manducare. Probat, Christi corpus tamdiu est sub speciebus, quamdiu panis substantia sub iisdem remaneret, si non esset destructa per sui conuersionem in corpus Christi; atqui non desineret antequam species corrumpere, quod non fieret antequam virtute caloris naturalis alterarentur in stomacho, ergo à primo ad vltimum corpus Christi non desinit esse sub speciebus, cum primum ille tanguntur à labijs sacerdotis, & proinde illud sumi potest à peccatore. quod est de fide, ut patet ex Apostolo 1. ad Cor. 10. non potestis calicem Domini bibere, & calicem demumiorum, non potestis mensam Domini participes esse, & mensam demoniorum. ubi docet eos, qui idolis seruiunt, non posse licite ad hoc Sacramentum accedere, quod frustra diceretur, si peccator non posset hoc Sacramentum reipsa suscipere. Item Apost. c. 11. dicit: quicumque manducauerit panem huius, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. item: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. quæ omnino supponunt peccatores

posse reipsa corpus Domini sumere. idem patet ex Trid. sess. 13. cap. 8. & ex eo quod Ecclesia in festo corporis Christi canat: *sumunt boni, sumunt mali*. idem tradiderunt plurimi Patres, si qui autem videantur negare peccatores manducare hoc Sacramentum, vel dicere solos iustos id facere, intelligendi sunt de spirituali manducatione, & vtili ad salutem, quia hoc Sacramentum tum demum sumitur spiritualiter, cum sumitur cum fructu, & vtiliter ad vitam æternam obtinendam

Docet idem D. Thom. non solum peccatores fideles, sed etiam infideles sumere corpus Christi, immò & mures &c. infidelem tamen vel murem non dici manducare sacramentaliter, si vox, *sacramentaliter*, determinet actum sumentis, quia cum non norint Sacramentum, non vtuntur illo, ut Sacramento, sed ut cibo communi. quâ ratione qui putans hostiam non esse consecratam, illam sumeret, non sumeret sacramentaliter, cum ex sua intentione non sumeret ut Sacramentum, sed ut communem cibum.

ARTICVLVS IV.

Utrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter peccet?

AFFIRMAT. Notandum non tantum velle peccare eum, qui accedit ad hoc Sacramentum cum affectu peccati mortalis, sed etiam eum, qui accedit cum eiusdem peccati conscientia, ut patet ex fine corporis & ex responsione ad 2.

Probat autem peccare, quia res huius Sacramenti est corpus Christi mysticum, & proinde quisquis ad hoc Sacramentum accedit, significat se esse Christo vniti, & eius membris incorporatum, quod fit per fidem charitate formatam, quam peccator non habet. quæ ratio videtur difficilis, cum ex assumpto non videatur villo modo sequi accedentem ad Sacramentum Eucharistiae significare se esse Christo vniti, sed potius per ipsam assumptionem vniri, cum Sacramenta efficiant id quod significant. verum ratio bene intellecta legitime concludit. pro quo

Notandum, quod hoc Sacramentum dicatur Sacramentum vnionis, & charitatis, non quod ex sua institutione conferat primam vnionem, quæ fit per charitatem; sed quod specialiore quadam significet vnionem cum Christo, & eius membris, tanquam cum participibus eiusdem conuiuij, quia per modum cibi illam significat, quæ vnio supponit sumentem iam charitate cum Christo vniti: cum ergo in peccatore non supponatur vnio cum Christo, & eius membris per charitatem, Sacramentum Eucharistiae in eo non sortitur suum significatum seu rem significatam, specialiter scilicet illam vnionem per augmentum charitatis, & proinde S. Thom. optime colligit peccatorem accedentem ad hoc Sacramentum falsum significare, & peccare.

In solutione primi tradit differentiam inter manducationem, & simplicem contactum huius Sacramenti, quod peccator manducans Christi corpus in mortali peccet, tangens verò per se loquendo non peccet. cuius varias reddit rationes. solida est ea, quod communicans in mortali, quantum in se est, falsam reddat significationem Sacramenti, quod non facit, qui simpliciter

Ex licetur PP. qui videntur dicere peccatores non manducare.

4.

Qui sumet hostiam, putans eam non esse consecratam, non sumet sacramentaliter.

5.

Resp. affir.

Explicatur ratio 3. Thom.

Peccator accedens significat falsum quantum in se est.

Secus si quis tantum tangat, vel videat.

R r tangit;

tangit: nam per simplicem contactum non significatur quod aliquis sit vnus Christo, eiusque membris per charitatem. idem dicendum est de visu.

ARTICVLVS V.

Utrum accedere ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati sit grauissimum omnium peccatorum?

Resp. neg.

Communi-
care cum
conscien-
tia peccati
mortalis
maius est
peccatum
quouis alio
in puras
creaturas
admisso.

NEGAT, quia peccata quae Deum in se respiciunt, vt infidelitas, blasphemia, per se loquendo, sunt grauiora; per se tamen maius est peccatum communicare cum conscientia peccati mortalis, quam sit vllum aliud in puras creaturas commissum.

D V B I V M. I.

Utrum sit peccatum ad hoc Sacramentum accedere cum conscientia peccati mortalis, & quantum illud sit?

6.

Lutheri-
ror.

Et Caluini

Non con-
sistit cum
eorum prin-
cipijs.

7.

Concl. Ca-
thol. pecca-
re mortali-
ter, qui cu
conscientia
peccati
mort. acce-
dit.
Trid.
i. Cor. 11.Probatur 2.
ex PP.
Clem.
Cyprian.

QUAMVIS resolutio huius dubij ex dictis superiori quest. possit elici, nihilominus propter haereticos nostri temporis id examinandum est: nam, vt refert Bell. lib. 4. de Eucharistia, cap. 17. §. hanc esse Lutheri, Lutherus docet eos, qui tristes, afflictas, perturbatas &c. habent conscientias, posse securè ad hoc Sacramentum accedere, immò furorem esse praeparatorijs confessionibus se mundos reddere; quod etiam docet Caluinus, eodem teste Bellarm. atque ita iuxta illorum sententiam multitudo peccatorum est optima dispositio; vt quis ad hoc Sacramentum accedat, quae tamen doctrina non consistit cum eorumdem principijs de fide iustificante, nam si requiratur fides specialis, vt aliquis ad hoc Sacramentum accedat, eaque iustificet, sequitur nullum posse accedere ad hoc Sacramentum in peccato mortali existentem.

Fides catholica docet eum, qui cum conscientia peccati mortalis accedit ad hoc Sacramentum sine vlla dispositione, mortaliter peccare, quod aperte supponit Trident. sess. 13. cap. 7. & can. 11. Probatur 1. ex Apostolo 1. ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* quo loco vult, vt accessurus ad hoc Sacramentum suam conscientiam diligenter excutiat, quod examen eo tendit, vt notet num se aliquo mortali irretitum sentiat. vult ergo nullum posse ad hoc Sacramentum accedere nisi probabiliter existimet se à mortali immunem. consequentia. Probatur, quia Apostolus requirit examen, ne quis indigne sumat corpus Domini in iudicium animae & condemnationem.

Probatur 2. ex Clemente lib. 7. Constitutio-
num Apostolicarum, cap. 27. *si quis sanctus est, ac-
cedat; si non est, curet, vt fiat per penitentiam.* Cypria-
no serm. de lapsis referente exempla eorum qui
grauiter puniti sunt eo quod in peccato mortali
ad hoc Sacramentum accessissent. quo videtur
alludere Apostolus post verba à nobis relata sub-
dens: *ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dor-*

miunt multi. quibus verbis insinuat varios propter
indignam communionem punitos etiam morte
temporali. Aug. tract. 16. in Ioan. dicente: *multi*
de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriun-
tur. Et paulo post: *panem celestem spiritualiter man-*
ducate, innocentiam ad altare apporiate, peccata, etsi sint
quotidiana, non sunt mortifera.

Probatur 3. hoc Sacramentum est viuorum,
igitur nullus cognoscens se spiritualiter mortuum
potest ad illud absque peccato accedere. Proba-
tur, qui ita est constitutus, ponit obicem effectui
Sacramenti. videri potest Trid. sess. citata, cap. 2. &
7. vbi ex summâ huius Sacramenti dignitate osten-
dit recipiendum esse cum summâ reuerentiâ, san-
ctitate, & puritate.

Neque obstat quod hoc Sacramentum dica-
tur panis vitae; quia non ita vocatur, quod dire-
ctè, & per se sit institutum ad primam gratiae
collationem, sed quod vitam conferuet, & per-
seruet à mortalibus, quod sit pignus vitae æ-
ternæ.

Ex dictis patet hoc peccatum non oriri ex ali-
quo præcepto positivo, vel posituâ alterius vo-
luntate, prohibentem hoc Sacramentum in sta-
tu mortali recipiatur, sed oriri ex conditione hu-
ius Sacramenti, positâ eius institutione, & id qui-
dem de priori dubij parte. Quantum ad poste-
riorem

Dico 1. hoc peccatum, per se loquendo, est
mortale contra religionem. prior pars patet ex
Apostolo supra citato. item ex eo quod sit gra-
uis deordinatio primario effectui Sacramenti
obicem ponere. posterior pars patet ex eo quod
hoc peccatum sit contra reuerentiam rebus sacris
debitam.

Dico 2. non est tamen maximum peccatum. est
communis & certa, quia constat peccata oppo-
sita virtutibus Theologicis esse grauiora, simili-
ter peccata quae Deum immediatè respiciunt. §.
peccata commissa contra humanitatem Christi
existentem in statu naturali per se loquendo sunt
maiora, vt contumelia in Christum prolata, pro-
ditio Christi, flagellatio, occisio: nam censetur
maior iniuria ita in Christum se gerere, quam hoc
Sacramentum sumere sine debitâ preparatione.
videri potest D. Thom. art. 5. ad 14. contra hoc
ipsum Sacramentum varijs modis potest grauius
peccari, quam indignâ communionem, vt si pedi-
bus conculcetur, si projiciatur in lutum, projici-
atur canibus, quia illis modis grauior inferitur
Sacramento iniuria, & huiusmodi actiones non
possunt proficisci aliunde, quam ex odio, & con-
temptu religionis.

Probatur, peccatum quod committitur acce-
dendo ad hoc Sacramentum cum conscientia pec-
cati mortalis consistit in hoc, quod censetur gra-
uis iniuria fieri si ponatur obex effectui Sacramen-
ti, quod longè minus est, quam si corpus Christi
in se, vel in suo velamento indignè tractetur: po-
steriora etiam peccata procedunt ex longè viliori
astimatione ipsius corporis Christi, vel Sacra-
menti.

Ceteris tamen paribus hoc peccatum est gra-
uius, quam sint ea, quae puras creaturas respiciunt,
vt D. Tho. add. & quam ea, quae committuntur
in alia Sacramenta.

Aduerte accedentem ad hoc Sacramentum eo
grauius peccare, quod grauioribus, & plurius
peccatis est irretitus. videri potest D. Thom.
ad 2. vnicum tamen peccatum committere in

eo con-

D V B I V M II.

Utrum ei qui in mortale peccatum incidit, necessarium sit praemittere confessionem ad dignam sumptionem huius Sacramenti?

EX dictis constat, ut quis dignè ad hoc Sacramentum accedat per se requiri statum gratiae, porro ad hunc comparandum non requiri actuale confessionem in lapso post baptismum in mortale, sed sufficere perfectam contritionem communis est Doctorum sententia. unde merito videtur posse dubitari, an ad dignam huius Sacramenti susceptionem, necesse sit eum, qui in mortale incidit, prius confiteri, quantumvis perfectè sit contritus? videri enim possit quòd non. 1. quia ad suscipienda alia Sacramenta viatorum per se non requiritur confessio, sed sufficit contritio. 2. Eucharistia datur, tanquam spiritualis cibus animae, qui eius vitam augeat, & cōseruet, ergo qui potest spiritualiter nutrirī & cōseruare vitam spirituales, dignè accedit, ergo sufficiens dispositio ut quis sit capax nutritionis spiritualis, sufficit ut hoc Sacramentum dignè suscipiatur. & ita tenet Caiet. tum alibi, tum art. 4. huius quaestionis, & in summa verbo Communio, quamvis posteriori loco censet peccare venialiter eum, qui non prae-mittit confessionem, quando datur copia confessorij, sed contrarium omnino verum est. unde

Dico, nullus, qui in mortale incidit, potest ordinariè absque praeuia confessione accedere ad hoc Sacramentum, quantumvis sit contritus. patet ex Trident. sess. 13. cap. 7. quod post illa verba: *Quare communicare volenti reuocandum in memoriam eius praeceptum, probet seipsum homo*, subdit: *ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione accedere debeat*, cōsimilia habet can. 11. Ex quo patet non statui nouum praeceptum de confessione instituendā ante cōmunionem; sed esse ante antiquum, cum probatio, de qua Apost. 1. ad Cor. 11. sit praecepti, ut patet ex cap. 7. Concilij; ea autem probatio sit per confessionem sacramentalem, ut patet ex consuetudine ecclesiastica, quam refert idem Concilium, ex quo sequitur id, quod est praecepti seu probationem, de qua Apostolus, debere fieri per confessionem sacramentalem, quando quis est sibi conscius mortalis, ita declarante consuetudine Ecclesiastica, & proinde non esse iuris noui sed antiqui ante tempora Tridentini, atque adeò Caiet. sententiā esse falsam, ex quo patet non solum obligari ad prae-mittendam sacramentalem confessionem eos, qui habitant in locis, vbi Trid. est receptum, sed etiam alios, quia Concilium hac in parte non condit nouum ius, sed declarat antiquum.

Quod verò dictum est de confessione prae-mittendā intelligitur de confessione omnium mortalium, seu, quòd, per se loquendo, omnia mortalia sint subiicienda clauibus, & in confessione recensenda, antequam quis accedat ad hoc Sacramentum. unde qui in confessione omisit aliquod mortale recensere, vel quòd illius esset oblitus, vel quòd iustā de causā non teneretur id tali cōfessario

R r 2 explicare,

11.

Suaderet negatiua.

Caiet.

12.

Conclus. ordinariè prae-mittendam, quantumvis quis sit contritus. Trident.

Trid. in hac re non condit nouum ius sed declarat antiquum.

eo consistens, quòd indignè accedat, licet indignitas ex pluribus peccatis oriatur: quemadmodum vnum numero peccatum committit is qui communicat non obstante prohibitione, ideo enim censetur peccare, & indignè communicare, quòd faciat contra prohibitionem.

Quemadmodum certum est accedentē in mortali ad hoc Sacramentum mortaliter peccare, ita apud Doctores certum est non peccare mortaliter eum qui accedit cum solis venialibus, quia etiam communiore, & veriori sententiā Doctorum peccatum veniale in ipsa communione commissum non impedit effectum huius Sacramenti.

Sed controuersia est num saltem sit veniale ita communicare? Aliqui enim censent esse veniale, si quis soleat multa venialia committere, vel sentiat conscientiam eorum multitudine grauata, & ad spiritualia tepidam; alij verò id negant, quòd videtur probabilius. itaque

Resp. 1. si peccatum veniale sit circumstantia actus communicandi, in ipsa communione venialiter peccatur, ut ex se satis patet.

Resp. 2. si verò non sit circumstantia communionis, non videtur esse causa noui peccati venialis, quòd ostenditur, si peccata venialia tantum sint in habitu, non possunt esse causa, si iuxta opinionem D. Thom. (de qua, praecedente quaestione) per hoc Sacramentum remittantur; nam id ad cuius sublationem se extendit hoc Sacramentum, non potest esse causa peccati in receptione Sacramenti: neque etiam inducunt peccatum veniale, etiamsi non tollantur: similiter si committatur concomitanter veniale, ut si quis vanè gloriatur de sua scientiā, dum communicat, nam accedere cum tali veniali non est causa noui peccati venialis tanquam circumstantia actus, neque aliundè dici potest causa.

Dices impedire feruorem charitatis.

Resp. id non obstat, quando non peccatur eo fine.

Dices 2. sanctus Anselmus in illum locum Apostoli: *Probet autem seipsum ait: Indignè manducat, & bibit qui vel aliquid graue, vel multa leuia commisit peccata, & non confitetur ea, priusquam ad communionem accedat.*

Resp. hoc testimonium nimium probare, si per leuia peccata intelligantur venialia, quā certum est non necessariū in confessione esse explicanda, ad hoc ut communicans non peccet mortaliter. unde, ut vera sit sententia, per leuia debemus intelligere mortalia quidem, sed quā in eo genere sint leuiora: simili ratione explicandus est Author de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. dicens: *Habentem adhuc voluntatem peccandi grauari magis dico Eucharistia perceptione, quam purificari, & ideo quamuis quis peccato mordetur, peccandi non habeat de cetero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis &c. sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non grauant.* Dico enim vel vltima verba reiicienda, vel explicanda, ut per mortalia peccata, de quibus ibi agit, intelligat publica, quibus irretitum iudicat non debere ad hoc Sacramentum accedere sine publicā poenitentia, & sacerdotis concessione, quòd clare patet ex sequentibus.

13.

Pena can.
11. Trid.
apposita
tantum res-
picit eos,
qui agunt
in locis, ubi
Trid. est
receptum.

explicare, per se loquendo, debet illud confiteri, antequam communicet, quia quando praecipitur confessio, praecipitur omnium peccatorum, quae clauibus debent subijci.

Aduerte penam appositam in can. 11. citato solum respicere eos qui agunt in locis in quibus Trid. est receptum, quia illa non iure statuitur à Concilio, quod solum obligat in locis, quibus Concilium receptum est. ita verò loquitur: *si quis autem contrarium docere, predicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* unde, qui scienter post praedictam declarationem docuerit, vel praedicauerit, vel pertinaciter asseruerit, vel defenderit aliquem grauatam peccato mortali, habitam copiam confessoris, non necessariò debere praemittere confessionem receptioni Eucharistiae si sit contritus, ipso facto excommunicatur.

Satisfit ar-
gumentis
in contra-
rium alla-
tis.

Quae initio in contrarium sunt allata, solum probant, etiam posita institutione huius Sacramenti intra limites iuris naturae, nullam esse obligationem praemittendi confessionem communioni, sed sufficere contritionem in eo, qui est sibi conscius peccati mortalis: quod omnino verius est; non tamen ostendunt non posse oriri obligationem introductam aliquo iure positivo. Neque faciunt contra resolutionem quidam Patres, qui videntur docere, vt accedens ad hoc Sacramentum seipsum probet, non vt alteri probetur, quia per hoc solum volunt accedentem ad hoc Sacramentum debere se priuatim examinare, vtrum sit reus grauioris alicuius culpa; non verò negant, si reus inueniatur, debere sacramentalem illius confessionem praemittere, quam praemittendam disertè docet Leo epist. 91. & quidam alij.

14.

Modo vult
dicta obli-
gationem
esse tantum
iuris eccle-
siastici.
Vid. Sot.
Suarez esse
diuini:
quod vide-
tur esse ve-
rius.

Petes, an hac obligatio praemittendi confessionem sit iuris diuini, an verò tantum Ecclesiastici? Ioannes Medina codice de confessione, quaest. 14. censet solum esse iuris Ecclesiastici, et alij consentiunt. Plures tenent esse diuini. Vid. num. 78. Sotus dist. 17. quaest. 1. art. 4. §. contraria tamen opinio. Suarez disp. 66. sect. 3. propositione 3. & plures alij, quod videtur verius.

Probat 1. Ecclesia non constituit hoc praecipitum post tempora Apostolorum, vt patet ex Trident. cap. 7. citato dicente, Ecclesiasticam consuetudinem declarare probationem, de qua Apostolus, esse vt conscius peccati mortalis confessionem praemittat. 2. docente renocandum in memoriam praecipitum ipsius, scilicet Pauli, igitur Ecclesia illud non constituit post tempora Apostolorum.

Dices esse ipsius Apostoli.

Resp. non dici illius, vt condentis legem, sed vt promulgantis, quod ostendi potest 1. non est verisimile, quod Apostolus voluisset Corinthijs parum spiritualibus tantum onus imponere, si non fuisset à Deo impositum. 2. Apostolus nusquam insinuat se illam legem condere, cum tamen communiter id indicet, quando legem condit. 3. quae de Eucharistia tradit cap. 11. citato, accepit à Domino, vt docet Leo eodem cap. non potest autem solide dici accepisse alia, non verò istud.

Dices Ecclesia videtur in hoc praecipito dispensare, quandoquidem quibusdam casibus liceat ei, qui sibi est conscius mortalis peccati, communicare sine praui confessione, vt dub. sequenti dicetur.

Resp. neg. assumptum, & dico, quod liceat qui-

busdam casibus communicare sine praui confessione, non provenire ex dispensatione Ecclesiae, sed solum ex declaratione, quod ius diuinum in ijs casibus non obliget: potest verò Ecclesia declarare illud certis casibus non obligare, sicut in quibusdam alijs materijs declarat, v. g. quod Episcopi quibusdam casibus non teneantur in suis Episcopatus residere.

D. V. B. I. V. M. III.

Utrum ei, qui sibi est conscius peccati mortalis, liceat interdum communicare sine praui confessione?

Responsum affirmatiue patet ex praxi, & sensu Ecclesiae, & indicat à Trident. sess. 13. cap. 7. vbi postquam docuisset, & statueret communionem praemittendam esse confessionem, ab eo, qui sibi est conscius mortalis, addit: *modo non desit copia confessoris. quod si necessitate urgente sacerdos absque praui confessione celebrauerit, quam prius consecratur, vbi*

Notandum, quibus casibus potest aliquis communicare sine praui confessione, cum debere conari ad contritionem eliciendam: quod si bonà fide putet se contigit, posse hoc Sacramentum sumere, neque peccatum, si subdubitet, num forte sufficientem habeat contritionem, nam morale iudicium, quod de nostris actibus formare possumus, non necessariò excludit omnes motus dubitationis.

Aduerte etiam, quod dictum est de contritione elicienda, intelligi de eo, qui postquam peccauit, non est confessus; nam si aliquis sit legitimè confessus, qui in confessione ex obliuione, vel iustitia de causa aliquod peccatum non explicuit, non tenetur elicere contritionem de illo peccato, quocasi potest communicare antequam praemittat confessionem illius peccati, quia per praecedentem confessionem & absolutionem, illius peccati remissionem est consecutus, quamvis indirectè, estque in statu gratiae. unde ex eo capite non tenetur conteri, nec potest assignari aliud caput ex quo obligetur eo casu ad eliciendam contritionem.

Porro ex Trid. loco citato elici potest duas circumstantias esse necessarias, vt is, qui mortaliter peccauit, possit ante praemissam confessionem communicare.

Prior est quod desit copia confessorij. Posterior, quod sit necessitas. quod etiam ratione ostendi potest, quia si desit alterutra istarum conditionum, non potest dici quod cesset obligatio diuini praeccepti, vel quod Ecclesia censetur in sua lege dispensare, si forte hoc praecipitum sit Ecclesiasticum.

Copia verò confessorij censetur deesse, quando, spectata aetate, debilitate, negotijs &c. nullus in vicino adiui potest. item si nullus sit approbatus, nullus gnarus idiomatis, si confessorius non soleat seruare secretum, si putetur penitentem difamaturus, vel ad peccatum pertracturus, aut illi vel alteri notabile malum allaturus. vbi

Aduerte 1. quando ex aliquo horum vel similibus capitum bonà fide putatur absolute deesse confessorium, potest quis sine praui confessione communicare: quod si solum desit respectu alicuius peccati in particulari, illo tacito tenebitur

alia

alia confiteri, cum respectu aliorum habeat copiam confessarij; vt si sacerdos non putetur seruaturus sigillum respectu alicuius certi peccati, etiam si putetur seruaturus respectu aliorum, vel si putetur audito certo peccato penitentem ad peccatum petra tracturus, non verò si illud taceatur. quod si quis instante necessitate communionis timeat quod non possit contritionem elicere, simul tamen putet confessarium non seruare secretum, potest confiteri vnum vel alterum veniale, ex quo cum notitia, moraliter loquendo, nulla infamia potest oriri.

Aduerte 2. nullo modo cenferi deesse confessionem, quando adest aliquis habens delegatam potestatem. Nec refert quod quis non teneatur vt privilegio, quia si per privilegium persona reddatur capax adimplendi præcepti, tenetur eo vt, non ratione ipsius privilegij, sed quia tenetur præceptum adimplere, quando potest, & prout potest, vnde cumque proueniat illa potestas adimplendi præceptum, quemadmodum non excusatur ab annuâ confessione is, qui solum potest adire priuilegiatos, vel is, qui habet priuilegium eligendi aliquem in confessarium. quamuis enim non teneatur his confiteri, sed possit adire proprium pastorem, si tamen pastor non possit confessiones excipere, non ideo dicendus erit non habere copiam confessarij. Idem dicendum de eo qui solet alicui deuoitione, & maiori fructu spirituali confiteri; hic enim propter absentiam talis confessarij non est dicendus carere confessario, nec propterea censendum est diuinum præceptum vim suam non obtinere, vel etiam ecclesiasticum, si forte ex eo confessio sit præmittenda; itaque tenetur eo casu confessionem communioni præmittere, quod censent Sotus dist. 12. quæst. 1. art. 4. in fine, Suarez disp. 66. sect. 4. Vasquez disp. 208. cap. 1. & alij. Contrarium videntur sentire Rich. dist. 17. art. 3. quæst. 6. Adr. quæst. 3. de confessione, quæ incipit, *Tertio inquirendum, §. pro huius solutione.* Sylu. verbo *Eucharistiæ* 3. quæst. 14. quorum sententia est omnino improbabilis, si intelligatur, quod ratione deuotionis solius, quæ percipitur ex confessione alicui instituendâ, liceat eo absente confessionem præmittere, quamuis ad sit alius; & passim à recentioribus notatur, vt improbabili.

Sed difficultas est num is, qui cum non reseruatis habet reseruatum, teneatur confessionem præmittere, si ad sit confessarius solum habens potestatem in non reseruata? Verum hæc quæstio pendet ab aliâ, tractanda in materiâ de penitentia, in quâ cum pars, quæ negat huiusmodi confessarium in illâ circumstantiâ posse absolueri, sit probabilis, potest secundum illam se dirigere & iudicare non adesse copiam confessarij.

Sed quid si superior concedat potestatem confitendi alteri cum onere comparandi pro reseruato?

Resp. eo casu præmittendam confessionem, cum non possit dici deesse copia confessarij, & illud omnis non sit tantum, vt propterea possit neglectâ confessione, alioquin per se præmittendâ, hoc Sacramentum recipi.

Altera circumstantia necessaria, vt quis conscius peccati mortalis possit communicare sine præuâ confessione, est necessitas, quæ, moraliter loquendo, debet cenferi grauis: non enim potest prudenter iudicari cessare præceptum de præmittenda confessione, si nulla subit necessitas eam præmittendi, vnde propter solam deuotionem

nemo conscius peccati mortalis potest omittâ confessionem communicare, cum sola deuotio, vel fructus, qui percipitur ex communione, non possit cenferi causa sufficiens ad elidendam vim diuini præcepti, maiusque bonum est illud seruari, & propter excellentiam huius Sacramenti præmittere confessionem præceptam, quam propter solam deuotionem, vel communem spiritualem utilitatem, quæ potest prouenire ex deuotione, communicare neglectâ confessione. Confir. si huiusmodi causæ sufficerent, facile tribueretur occasio præcepta diuina, vel ecclesiastica negligendi.

Quia verò non potest certâ regulâ definiri, quænam cenferi debeat grauis necessitas, sed id iudicio prudentis sit relinquendum, hinc est quod varij casus assignentur, quibus propter defectum confessarij liceat communicare omittâ confessionem, quorum aliqui sunt certi, & passim recepti, alij magis dubij.

1. Omnium iudicio est causa sufficiens imminens mortis periculum. itaque si quis in eo constitutus conscius peccati mortalis non habeat copiam confessarij, potest cum contritione saltem bonâ fide existimatâ communicare: vnde in eo casu sacerdos potest celebrare, & seipsum communicare: similiter Diaconus potest præbere Eucharistiam ægroto periclitanti de vitâ, qui propter sacerdotis absentiam non potest confiteri.

2. Periculum vitæ proximi facit, vt sacerdos in prædictis circumstantijs possit celebrare, vt ministret infirmo viaticum.

3. Si absque periculo infamiae communio differri non possit, vt si in religione sacerdos non possit sine notâ certis diebus omittere sacri celebrationem, & quin ingeneretur suspicio grauioris alicuius peccati, idem dicendum de communione respectu non sacerdotum, vt si in religione non sacerdotes debeant ex præcepto, vel consuetudine certis diebus communicare, nec possit omitti communio sine graui nota. in quo casu (quia frequenter accidit, vt quis huiusmodi periculum prætexat) diligenter aduertendum, num verè periculum grauioris notæ subit, & non tantum fingatur. neque enim statim licet communicare sine præuâ confessione, eo quod aliquis habebitur minus deuotus, si non communicet, quod in genere confratres fortè mirabuntur. opus est etiam, vt nota, & infamia, quæ timetur, non possit aliâ probabili viâ auerti.

4. Si post consecrationem etiam vnus speciei celebrans moriatur, vel deficiat, nec ad sit alius, qui sacrificium perficiat præter sacerdotem peccatorem. hic enim potest, & tenetur etiam non præmissâ confessione (quam suppono non posse instituere) Sacramentum perficere, & communicare; nam maior est obligatio sacrificij perficiendi, quam præmittendi confessionem communioni, & absolute censetur graue, quod sacrificium imperfectum remaneat. vnde necessitas illius complendi abunde sufficit, vt possit aliquis omittâ confessionem communicare.

Aduerte tamen, quod, sepósito scandalo, sacerdos in mortali constitutus posset excusari à sacrificio alterius perficiendo, si moraliter vix posset contritionem elicere. nam quamuis homini non desit diuinum auxilium ad huiusmodi contritionem elicendam, interdum tamen potest ita multis mortalibus implicari, & tam diuturnâ peccandi consuetudine, vt sit illi difficillimum, & moraliter impossibile perfectam contritionem elicere. quo casu cum non offerat imperfectum sacrificium, sed

Propter deuotionem nemo conscius peccati mortalis potest communicare non præmissâ confessione.

19.

Varij casus, quibus licet communicare, non præmissâ confessione.

POSTULAT
Sacramentum

ab alio inchoatum relinquit imperfectum, ad quod perficiendum non tenetur, si non possit cum dispositione necessariis requisitis, videtur quod non teneatur sacrificium ab alio inchoatum perficere, si, moraliter loquendo, vix possit adferre congruam dispositionem, sed quod possit relinquere imperfectum, circa quam imperfectionem solum permittitur se habeat. videri potest Sotus dist. 13. quaest. 2. art. 6. §. *perplexior*. Toletus lib. 2. cap. 9. num. 1.

Sotus.
Toletus.

5. Si sacerdos post consecrationem etiam vnius speciei meminerit peccati mortalis.

Qui post consecrationem vnius speciei recordatur peccati mortalis, non tenetur confiteri, licet sine nota possit.

Aduerte eo casu non teneri confiteri etiam si esset copia confessorij, & posset absque nota confiteri, quia non expedit illam partem Missae interrumpi alijs vacando, & ita licet physice esset copia confessorij, moraliter censeretur deesse, quia eo casu singulari propter circumstantiam actionis non expedit alijs distrahi. tenet Suarez disp. 66. sect. 4. §. *quinta & gravis*. Adde sacerdotem tunc non posse discedere ab altari, & moraliter loquendo non posse confiteri sine nota.

Suarez.

Sed quid si nondum consecravit? Henriquez de Eucharistia cap. 46. num. 3, censet posse pergere, nec teneri confiteri quamvis posset sine nota & scandalo, quod etiam videtur sentire Nauarrus cap. 21. num. 49. Alij saltem concedunt posse, si desit copia confessorij, Vict. num. 79. Sotus, qui tamen dist. 13. dubius est, quo casu sacerdos est excommunicatus. vide art. 6. citatum, §. *secundum arguitur*, Toletus supra, num. 2. excepto casu excommunicationis, & irregularitatis.

Henriq.
vult etiam non teneri, licet non cōsecravit.

Assentitur
Auctor.

Sed in genere dicendum posse pergere sine confessione, quandocumque non potest cessare, vel confiteri sine nota, alijs non, quia verò moraliter loquendo sacerdos raro potest sine nota cessare, vel confiteri, dum celebrat, moraliter loquendo non tenetur cessare, vel confiteri, idque verum est quamvis sit excommunicatus, vel irregularis, quia etiam irregularis potest ad vitandam infamiam celebrare; ergo multo magis in sacro pergere. vide Vasquez disput. citata cap. 2. numero 112. & 13.

Vasquez.

6. Si quis in scamno communicantium recorder mortalis, nec possit absque infamia recedere, potest absque prauia confessione communicare. ita Victor, supra, Nauarr. Henriquez supra, Sotus dist. 12. quaest. 1. arti. 4. in fine, & plures alij, videtur tamen Henriquez in eo excedere quod dicat id esse licitum, etiam seclusa nota, & scandalo.

Porro, quia communiter potest subesse periculum infamiae, communicaturi possunt sine scrupulo permanere, nec expedit ut instituant confessionem ministraturo Eucharistiam, quia forte is non poterit ab eo casu absolueri, vel forte negabit absolutionem, unde maior infamia, vel perturbatio oriri poterit.

7. Si quis ratione officij teneatur celebrare, siue alij teneantur sacrum audire, siue non teneantur, quia obligatio officij videtur sufficientem praeberet necessitatem ad celebrandum sine confessione, quando deest copia confessorij, immo ad hunc casum maxime videtur respexisse Trid. cap. 7. citato, quia videtur respexisse potissimum ad casum, qui frequenter accidit, & ex quo sacerdos posset sumere occasionem sapienter praemittendi confessionem sacrificio Missae.

Dices nominatim excommunicatus non posset celebrare non obstante obligatione officij, ergo

neque in praedicto casu poterit, si nulla ex omissione sequatur infamia. ita aliqui, quorum sententia non est improbabilis. sed probabile est quod censent alij, scilicet posse etiam in eo casu, quia, vt dixi, obligatio officij sufficientem inducit necessitatem, nec argumentum videtur contrarium suadere, quia in casu excommunicationis posito, si pastor celebret sine confessione &c. potius inducit scandalum, & alios male edificat. unde mirum non est, si non possit celebrare. adde in casu censurae vetari ab Ecclesia celebrare, in nostro vero casu nihil huiusmodi inuenitur.

Obligatio officij sufficientem adferre necessitatem.

Dixi, si quis ratione officij &c. quia sacerdos non obligatus aliunde, non potest sine prauia confessione celebrare, vt alij die festo sacrum audiant, vel vt ipsemet audiat, quia non tenetur audire, nisi addit qui possit celebrare, non autem adest, si non sit qui possit debito modo celebrare. & ita sentit Sotus art. 4. citato §. *tertius casus est*, Suarez sect. citata §. *maior difficultas*. Aliqui tamen tenent contrarium, quorum sententia non videtur plane improbabilis, praesertim quando quis aliquot multis diebus festis non esset sacrum auditurus.

Non potest sine confessione celebrare sacerdos, nisi alij die festo sacrum audiant, vel vt ipsemet audiat.

Ex hoc videtur aliquo modo patere, quid dicendum de casu annuae communionis, an videlicet ad implendum praecceptum annuae communionis possit aliquis conscius peccati mortalis, non habens copiam confessorij, celebrare sine confessione, vel communicare? Affirmat Henriquez cap. citato num. 4. qui plures citat littera M. quod non est improbabile.

Censet.

Negant Sotus & Suarez supra; quod videtur verius, quia sola adimpletio humani praeccepti non videtur sufficientem necessitatem praeberet, neque praecceptum humanum obligat, quo casu non potest adimpleri conuenienter iuri diuino.

Praecceptum humanum non obligat si impletur neque satisfactum iuri diuino.

DUBIVM IV.

Utrum qui in casu superioris dubij communicarunt sine prauia confessione, teneantur primam datam opportunitate confiteri?

IN Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. aliquoties citato, in fine dicitur: *quod si necessitate urgente sacerdos absque prauia confessione celebraverit, quam primum confiteatur, si videlicet erat sibi conscius peccati mortalis, circa quod*

Trid.

Notandum 1. intra limites iuris naturae, vel diuini neminem, qui conscius peccati mortalis communicauit absque prauia confessione celebrando vel non celebrando, teneri postmodum primam datam opportunitate confiteri, siue peccauerit siue non, quia dispositio ad aliquid requisita non est iure naturae postmodum ponenda, si prius non fuerit posita. neque vlllo solido fundamento dici potest, quod diuino praeccepto, quo tenemur confessionem communioni praemittere, ne indignè communicemus, teneamur confiteri, si forte non praemiserimus. restat ergo, vt obligatio sit praeccepti ecclesiastici. vbi

Trid. Laicos in hac parte non respiciat.

Notandum 2. non extare vllum vniuersale praecceptum, quo iubeatur etiam laici primam datam opportunitate confiteri, si conscij peccati mortalis absque confessione communicarint, quia solum extat Trident. quod, vt patet, laicos non respicit. unde illi, si in casibus superioris dubij non praemiserint

seriunt

serint confessionem communioni, non tenentur postmodum primâ datâ opportunitate confiteri. quod est contra Nauarrum in summâ cap. 2. num. 9. in fine, & Sa. verbo *confessio*, num. 5. & verbo *Eucharistiæ*, num. 24. quorum sententia parum videtur probabilis. idem dico etiam si in communionem peccarint, non præmittendo confessionem.

Notandum 3. cum lex illa Trident. non obliget, ubi Concilium non est receptum, iis locis sacerdotibus, qui sine præuâ confessione celebrarint, non teneri primâ datâ opportunitate confiteri. quoad alios.

Notandum 4. decretum Concilij solum respicere eos sacerdotes, qui celebrant, ut patet ex verbis ipsius decreti, unde communicantes modo laici non tenentur primâ datâ opportunitate confiteri, vel concipere propositum confitendi primâ opportunitate. qui tamen in die Parasceues officium celebrant, tenentur postea primâ datâ opportunitate confiteri, quia iuxta morem Ecclesiasticum dicuntur celebrare, tenentur etiam ij, qui sacrificium ab alio inchoatum perficiunt, quia etiam ij celebrant.

Notandum 5. decretum Concil. solum respicere eos, qui celebrant necessitate urgente, ut patet ex textu. unde qui sine necessitate celebrant, etiam si in eo peccent, non tenentur postmodum primâ datâ opportunitate confiteri. Concilium autem solum deest de celebrante ex necessitate, quia ex ea occasione facilius potest irreperere periculum negligendi diuinum præceptum confessionis præmittendæ ante communionem, unde ut præcinderetur occasio negligendi confessionem, iis, qui ex necessitate debent sæpius celebrare, Concil. iussit, ut quo casu propter necessitatem celebrandi non potuerunt confessionem præmittere, primo quoque tempore confiteantur.

Notandum 6. decretum Concilij solum respicere eos, qui sibi sunt conscij peccati mortalis, quia verba citata Concilij referuntur ad præcedentia, ut facile patet ex textu. unde si aliquis existens in mortali, cuius non erat sibi conscius, celebrauerit, non tenetur postmodum primo quoque tempore confiteri. quod etiam videtur verum in eo, qui cum inaduertentiâ, vel ignorantia etiam vincibili peccati celebrauit. nam quamuis talis inaduertentiâ non excuset celebrantem à peccato, obstat tamen quo minus dici possit conscius peccati, ut patet ex dictis. Decretum etiam videtur intelligendum de eo, qui sibi est conscius, antequam celebret, quia videtur velle restringere facultatem celebrandi antequam præmittatur confessio, quod non habet locum in eo, qui ignarus sui peccati incepit celebrare, & in decursu saltem post consecrationem illius recordatur: unde talis non videtur decreto comprehendi, & proinde non videtur teneri postmodum primo tempore confiteri, & ita tenet Vasquez disp. 208. cap. 3. num. 19. & 20.

Quod si sacerdos iis locis, quibus obligat Trident. urgente necessitate celebrauerit sine præuâ confessione peccati mortalis, cuius ante celebrationem sibi erat conscius, tenetur cum primùm confiteatur quod non solum habet locum in eo, qui absolute non est confessus, sed etiam in eo, qui iusta de causâ aliquid in confessione non recensuit, vel ex obliuione quia huiusmodi peccatum, per se loquendo, debebat ante communionem subici clamibus, & dici potest quod conscius illius celebrauerit, sine eiusdem confessione, & proinde decretum Concilij ad illum casum se extendit.

Aduerte ex particulâ, *quàm primùm*, patere, quod Concil. non respiciat subsequentem communionem, quasi in ordine ad illam, confessionem præcipiat, sed quod independenter ab omni alio sacrificio vel communionem præcipiat institui confessionem, idque cum primùm fieri poterit, spectatâ debilitate, difficultate adeundi confessarium, & alijs circumstantiis. unde licet pastor ruralis non teneatur statim post sacrum confiteri, non debet tamen diu confessionem differre, sed illam instituire, cum primùm moraliter potest.

Qui negligit primâ datâ opportunitate confiteri, peccat mortaliter: nam quamuis Concil. solum dicat, *confiteatur*, quod ex se non sufficienter indicat præceptum obligans sub mortali, communis tamen sensus Doctorum, qui est optimus legis interpretes, illud decretum intelligit sub mortali obligare.

ARTICVLVS VI.

Utrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti?

DISTINGUIT duplicem peccatorem, vnum occultum, alium manifestum.

Respondetque manifesto peccatori Eucharistiam negandam, occulto non item.

Notandum ergo ex dictis quæst. 4. art. 6. dub. 3. per se loquendo, peccatum esse administrare hoc Sacramentum peccatori, cum minister tali administrans Sacramentum, infideliter se gerat, sitque infidelis seruus dans sanctum canibus. hoc peccatum ex suo genere est mortale contra religionem, cum sit contra reuerentiam rebus sacris debitam, estque verisimile sacerdotem ministrantem Eucharistiam peccatori iis circumstantiis quibus non potest, duo peccata committere; vnum contra proprium officium, alterum cooperationis peccati proximi, ut dictum dubio citato, quamuis aliqui non improbabiler existiment vnum numero peccatum committere, in hoc consistens, quod Sacramentum conferatur indigno, quod necessario inuoluit peccatum recipientis, & proinde ex eo capite non multiplicetur peccatum ministri. Est autem peccatum contra præceptum negatiuum non indignè tractandi, & ministrandi hoc Sacramentum, cum hoc peccatum sit commissionis non verò omissionis.

Nec obstat quod minister aliquo euentu possit Sacramentum peccatori ministrare, quia bene potest dari præceptum negatiuum, cuius obiectum in aliquâ circumstantiâ non inueniatur, & proinde in eâ circumstantiâ vim suam non retineat, ut patet in præcepto, *non occides*, quod vim suam non obtinet, quando quis occidit publicâ autoritate, vel in iustam sui defensionem. pari ergo ratione dici potest præceptum negandi, seu non ministrandi Eucharistiam peccatori, intelligendum sub certis circumstantiis, extra quas non obliget, quia quibusdam circumstantiis minister non censetur indignè Sacramentum tractare, & esse infidelis in suo officio administrando peccatori.

22.

Communis sensus DD. decretum intelligit sub mortali obligare.

23.

Resp.

Probabiliter vnicum peccatum committitur, qui peccatori Eucharistiam ministrat.

Est peccati commissio, non omissionis.

DUBIVM I.

Virum publico peccatori Eucharistiam petenti liceat eam negare?

24.

Publico peccatori negari debet. Matth. 7. Cyprian.

RESP. posse & debere negari. Probatnr ex sententiâ Christi Domini, apud Matth. cap. 7. *Nolite sanctum dare canibus; nam publicus peccator re, & publicâ famâ est canis.* 2. ex Cypri. lib. 1. epist. 10. ad Encratium scribente: *Pro dilectione tuâ consulendum me existimasti quid mihi videatur de his- trione quodam, qui apud vos constitutus in eiusdem ad- huc artis suâ dedecore perseverat, an talis debeat com- municare nobiscum? quod puto ego nec maiestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infamæ contagione sedatur.* 3. mi- nister Sacramentorum tenetur illa sanctè tractare, & quantum potest, saluo iure alterius non dare indigno; sed publicus peccator est indignus, publi- cā famâ, unde nec in foro Ecclesiæ ius habet, quam- diu in illo statu perseverat, ut Eucharistia ei præ- beatur, nec habet ius ad famam, ergo minister te- netur ei petenti negare, ex quo patet quod etiam petenti in occulto negari debeat, quia etiam eo casu militant argumenta allata.

Notandum hæc intelligenda, nisi constet de emendatione, quia quamdiu non constat, non po- test ei præberi Eucharistia. unde patet publicæ me- retrici, quam non constat deseruisse statum mere- trici, non posse Eucharistiam ministrari.

Aduerte tamen non debere eodem modo con- stare de penitentiâ, & emendatione, quando pu- blicè petitur, & quando priuatim. nam quando publicus peccator publicè petit, necesse est pro ra- tione peccati, seu status, publicè constare de satis- factione, seu quod conuersio sit manifesta: unde meretrici publicæ, quæ etiam consecuta est abso- lutionem, debet negari Sacramentum petenti in publico, si de conuersione publicè non constet, tum quia talis in illis circumstantiis non habet ius, ut Sacramentum ei publicè præbeatur, tum quia hæc publica administratio nata est scandalum in- generare: unde etiam sacerdos, qui confessionem excepit & absolutionem impendit, potest Eucha- ristiam negare publicè petenti, potestque obicere publicum peccatum, pro quo secundum publicè sa- tisfecit. nihil tamen agat, vel dicat quod ex con- fessione sacramentali cognouit, & proinde, si ex solâ penitentis confessione norit publicum esse peccatum, non potest accedentem publicè ad com- munionem repellere, saltem iis circumstantiis, quibus etiam ipsi penitenti videretur vñ scientiâ partâ ex confessione.

Si ex sola penitentis confessione norit sacerdos publicum esse peccatum, non potest accedentem re- pellere.

Quando verò communicatio priuatim petitur, suf- ficat, ut emendatio priuatim sit nota, saltem iis co- ram quibus petit, nec sit periculum, quod aliis in- notesceret datam communionem ante præstitam publicè satisfactionem, potestque interdum suffi- cere confessio cum absolutione, quia hac ratione tolli potest scandalum.

25.

Dicitur publicus peccator in proposito, cuius cri- men est no- torium.

Difficultas est, quis sit censendus publicus pec- cator ad hoc ut illi publicè petenti liceat Eucha- ristiam negare?

Resp. quando crimen est notorium. est autem notorium, vel quia aliquis de eo est condemnatus in iudicio, vel in iudicio conuictus, vel in eodem confessus est, vel quod facti euidentiâ est noto- rium, ita ut nullâ tergiversatione negari possit; quâ

ratione notus est status publicæ meretricis, & quidem si crimen sit priori modo notorium, potest & debet negari Eucharistia, donec competens sa- tisfactio sit exhibita, & constet publicè de emen- datione, quamvis astantes forte ignorent, quia, quod ita est publicum, moraliter loquendo, non potest diu latere in eodem populo, sed statim per totum locum spargi solet, unde sacerdos non tene- tur præbere Eucharistiam tali peccatori, ut eius famam necessariò colligi potest sufficere, si decem personæ illud norint, ita ut illis sit manifestum. aliis videtur sufficere si sex. sed hæc sunt improba- bilia, quod enim tam paucis notum est, non potest morali iudicio dici in aliquâ ciuitate publicum, melius ergo dicitur non posse id certâ regulâ com- prehendi, sed prudenti iudicio relinquendum. Illud omnino dicendum videtur notorium facti euiden- tiâ quod celebri loco sit, & iis circumstantiis qui- bus ad communem notitiam facile possit perueni- re. unde ei, qui ita peccauit, debet Eucharistia ne- gari, etiam si astantes peccatum ignorent, quia et- iam respectu illorum verè famam amisit.

Petes, quàm multis peccatum debeat esse no- tum, ut dicatur notorium euidentiâ facti? Ex ali- quorum sententiâ colligi potest sufficere, si decem personæ illud norint, ita ut illis sit manifestum. aliis videtur sufficere si sex. sed hæc sunt improba- bilia, quod enim tam paucis notum est, non potest morali iudicio dici in aliquâ ciuitate publicum, melius ergo dicitur non posse id certâ regulâ com- prehendi, sed prudenti iudicio relinquendum. Illud omnino dicendum videtur notorium facti euiden- tiâ quod celebri loco sit, & iis circumstantiis qui- bus ad communem notitiam facile possit perueni- re. unde ei, qui ita peccauit, debet Eucharistia ne- gari, etiam si astantes peccatum ignorent, quia et- iam respectu illorum verè famam amisit.

Petes 2. an possit negari Eucharistia in alio lo- co, ubi crimen est occultum?

Suppono 1. non esse quaestionem de eo, qui be- ne se gerit, ita ut priorem statum deseruerit; tali enim negari non potest, cum post emendationem nequidem eo loco ubi peccatum fuit publicum, posset negari.

Suppono 2. neque intelligi eo casu, quo specta- tâ loci viciniâ, & commerciis vltro citroque, cri- men eo loco breui est diuulgandum: nam eo casu potest, & debet negari, cum non possit moraliter censeri eo loco bonam famam habere, cum, spe- ctatâ hominum consuetudine, breui crimen eo lo- co sit reuelandum, atque ita cum minister possit absque latione famæ alterius consulere reuerentiâ Sacramenti, tenetur id facere negando Eucha- ristiam.

Quaestio ergo intelligitur, quo casu is, qui vno loco fuit publicus peccator, migrat ad alium lo- cum, ubi crimen non facile diuulgabitur, in quo occultè perseverat; quâ in re est sententiarum di- uersitas.

Prima sentit posse negari saltem, quando cri- men fuit notorium per iudicis sententiam. ita So- tus dist. 12. quaest. 1. art. 6. §. *ambigere*, Suarez disp. 67. sect. 5. in fine. quod si solum sit notorium fa- cti euidentiâ, censent non posse negari.

Secunda videtur vniuersim asserere posse nega- ri. tenet Caiet. tomo 1. opusculorum, tract. 31. rel- ponsione 9.

Tertia censet nullo casu posse negari. Victor. num. 80. Vasquez disput. 209. cap. 2. num. 19. & alij. Quæ sententia videtur probabilior, quia in hac circumstantiâ est peccatum saltem contra charitatem, illum diffamare in loco, in quo sine cu- iusquam iniuriâ famam possidet, & facile potest retinere, ergo non potest citra peccatum contra in alio charitatem eo loco negari Eucharistia publicè pe- tenti.

Confir.

Confir. non licet ministro negare occulto peccatori publicè petenti, quamvis peccet accedendo, eo quod teneatur eius famam conseruare, ergo neque licet negare in nostro casu, cum in aliis negotiis teneamur saltem ex charitate eius famam conseruare.

17. *quæst. 3.* Petes 3. an quod dictum est de notorio per sententiam &c. vel per facti euidentiam, etiam sit dicendum de famoso? utrum, inquam, Eucharistia negari possit ei, qui laborat infamia alicuius criminis? videtur enim potest posse, & debere negari, quia de tali potest dici sine peccato quod labore infamia talis criminis. communiter tamen.

18. Respondetur negatiuè, quia talis non potest puniri, ut satis constat; ergo non potest ei negari Eucharistia, cum habeat ius ad illam recipiendam, quo priuaretur, si Eucharistia illi negaretur; igitur infamia orta ex solis indicibus non sufficit, per se loquendo, ut alicui negetur Eucharistia. Ex quo sequitur, quod licet sacerdos priuatum sciret aliquem commisisse crimen, cuius laborat infamia solum ex indicibus, non posset illi publicè petenti Eucharistiam negare, quia propter scientiam propriam non potest negare, neque etiam potest propter huiusmodi infamiam.

Aduerte tamen, si tam vehementia essent indicia, ut non possent facile deponi, propter quod oriretur scandalum quo casu is admitteretur ad hoc Sacramentum, posset illi dici, quod debeat sese purgare, ut occurratur scandalo, ante quam purgationem posset illi Eucharistia negari, non quidem per modum penæ, sed ad vitandum scandalum.

19. *quæst. 4.* Petes 4. utrum suspecto de aliquo crimine liceat præbere Eucharistiam ad illius purgationem? ita enim videtur statui can. *sape* & can. *si Episcopus*, 2. quæst. 5. contrarium tenet D. Tho. hic, resp. ad 3. docens illa decreta (quæ sunt Concilij particularis Wormatiensis) esse per Pontificem abrogata. idem censent communis Doctores. Sed

Notandum posse duobus modis Eucharistiam præberi huiusmodi suspecto ad criminis purgationem. 1. ita ut per id implicite petatur à Deo, ut, si suspectus sit nocens, modo aliquo extraordinario manifestetur delictum, si verò sit innocens, seruetur à Deo. hic modus continet superstitionem, cum neque ex rei natura, neque ex Dei institutione sumptio Eucharistie sit ordinata ad manifestandum modo extraordinario hominis delictum, & sine dubio graue est peccatum alicui de crimine suspecto Eucharistiam eo sine præbere.

Alio modo præberi potest per modum iuramenti in testimonium veritatis, qui modus nec est intrinsecè malus, nec videtur per decreta Pontificum prohibitus, quamquam videatur omnino dissuadendus propter summum periculi periculum, & quia non est satis consentaneus reuerentiæ huic Sacramento debitæ. Adde quod licet non sint decreta quæ illum modum expressè prohibeant, contra tamen consuetudine sit abrogatus, & proinde iam minimè licitus.

DVBIVM II.

Utrum peccatori occulto Eucharistiam petenti ea negari possit?

Dico 1. si petat occultè, potest, & debet negari, modò saltem peccatum non sit notum

ex confessione sacramentali. Probatur, per denegationem nulla sit iniuria, neque peccatum euulgatur contra charitatem, & de cætero consulitur Sacramento, quod negatur indigno, ergo potest & debet negari, consequentia probatur, si possit citra iniuriam &c. proximi negari, licet potest negari, si possit negari licitè, debet negari, cum minister Sacramenti teneatur non ministrare indigno, quando sine iniuria potest, & cum teneatur consulere Sacramento, quando potest saluo iure alterius.

Quod dicitur, *occultè*, intelligitur respectiue, ut si peccatum soli sacerdoti sit notum, & peccator petat communicare in sacro quod solus audit, potest & debet negari: si sint alij, qui similiter norint, potest coram iisdem negari; si ad sint alij, quibus peccatum est notum, non potest negari, propter paulò post dicenda.

Porro conclusio intelligitur vniuersaliter, id est, siue petat tempore præcepti, siue extra illud tempus, siue minister sit proprius pastor, qui aliàs tenetur ministrare, siue non sit proprius pastor, quod est contra Sotum dist. 12. quæst. 1. art. 6. §.

si autem ille, post modum, ubi contra communem doctrinam limitat conclusionem, quando petitur communicatio extra tempus præcepti: si enim occultus peccator petat tempore præcepti, v. g. in Paschate, vel mortis articulo, censet quod pastor non possit occultè petenti eam negare, quia talis ius habet, quo non debet priuata auctoritate priuari, verum, ut dixi, id est contra communem sententiam absque solido fundamento, quia occultus peccator non habet ius, ut ei detur Eucharistia, quando sine notà potest ei negari, nec ius habet, ut præcedat cognitio indicialis, ut patet in peccatore publico, qui potest repelli, etiam antequam de crimine sit condemnatus. nam quamvis cuilibet Christiano videatur ius competere ad hoc Sacramentum recipiendum, ministris tamen incumbit obligatio indignos reiciendi, & non dandi hoc Sacramentum canibus, & proinde arcendi peccatorem, quando sine notà fieri potest: neque in illis circumstantiis dicendus est habere ius, etiam ante iuridicam condemnationem.

Dixi: modò peccatum non sit notum ex sacramentali confessione; si enim ex sola notum sit, controuersia est, utrum occulto peccatori occultè petenti negari possit. Aliqui censent posse negari etiam à pastore, si petat extra tempus præcepti, non posse verò negari à pastore, si petat tempore præcepti. ita Palud. dist. 9. quæst. 4. art. 1. conclus. 2. & 3. Gab. eadem dist. quæst. 2. art. 3. dub. 1. Estius eadem dist. §. 4. versu *si primum*. Alij asserunt denegandam quocumque casu, plures citat & sequitur Suarez disp. 67. sect. 3. §. *secunda sententia*, Valquez disp. 209. cap. 5. Alij denique censent nullo casu posse negari, quando peccatum ex solâ confessione sacramentali est notum, quid verò sit verius, commodius dicetur infra, in materia de sigillo confessionis.

Solum aduerte primam sententiam minùs conformiter procedere; vel enim potest negari extra tempus præcepti, quia peccator ius non habet, & negando nihil fit contra sigillum, & ex ea ratione sequitur etiam posse negari tempore præcepti, cum eo tempore non habeat ius aliquod maius quam alio, & si negetur, nihil fiat contra sigillum; vel si tempore præcepti contra sigillum fiat negando communionem, non minùs fiet, si alio tempore negetur, & proinde non est probabile, quod possit negari vno tempore, alio verò non.

Dico

31.
Conclusio 2.
Non licet
occulto
publicè pe-
ccatori nega-
re.

Dico 2. non licet occulto peccatori publicè Eucharistiam petenti negare. est communis Doctorem, quam Christus Dominus factò suo videtur probasse, quando Iudam proditorem ad sui corporis communionem admittit. eo enim factò videtur ministros docuisse, ut occultos peccatores publicè ab hoc Sacramento non arceant. ratio est quòd in illà circumstantià non possit arcere sine infamià, & proinde sine iniurià, vel graui saltem charitatis latione.

Dices ministrum permissuè se habere. Verùm hoc dici non potest, cum positiuè reiceret, & proinde moraliter crimen detegeret, atque adeo positiuè infamaret.

Dices posse infamare, ut honorem Christo, & huic Sacramento debitum seruet: maius enim est honorem debitum huic Sacramento seruare, quam famam alterius custodire.

Resp. neg. assumptum, quamuis enim maius sit honorem huic Sacramento debitum seruare quam famam alterius, non licet tamen alteri famam auferre, ut ille honor seruetur, quando in eo solùm consistit honoris latio, quòd alter indignè communicet. pro quo

Notandum duobus modis posse concipi honorem Sacramenti ladi. 1. quòd aliquis indignè accedat ad Sacramentum, & in eo peccet; cum enim per omne peccatum honor Dei aliquo modo latur, censetur etiam ladi per indignam huius Sacramenti susceptionem, & talis communicatio peculiariter etiam est contra reuerentiam rebus sacris debitam. 2. latur honor huius Sacramenti in se, & quodammodo præscindendo à peccato alterius, ut si in lutum proiciatur, pedibus conculcetur, exponatur irridendum ethnicis, hæreticis, quando posteriori modo latur hoc Sacramentum possimus, & quantum in nobis est, tenemus illam iniuriam propulsare, etiam aliorum famam negligendo, qui eo modo vellent inhonorare: ut si cognosceretur aliquem priuatim velle hoc Sacramentum accipere, ut postmodum conculcetur &c. posset etiam illi publicè petenti denegari detegendo iniuriosum eius conatum, quia id est innocentem defendere & iniuriam ab altero propulsare, quod licet etiam infamando eum qui parat alterum inuadere.

Quando verò solùm priori modo censetur ladi, non licet alterius famam auferre, quia ut dictum est, hæc latio in eo solùm consistit, quòd aliquis peccet Eucharistiam sumendo: ut autem peccatum alterius impediatur, non licet eum infamare, neque licet minus malum facere ut grauius alterius euitetur.

Confirmantur hæc. 1. simul & conclusio, si minister huius Sacramenti posset repellere occultos peccatores publicè accedentes, grauiissima sequeretur incompodità, quòd malis ministris præberetur maxima occasio etiam iustos arcendi sub prætextu occulti peccati sibi noti, cuius modum scirent peractam esse penitentiam, atque ita daretur occasio indulgendi priuatis affectibus odij, inuidiæ &c. 2. fideles ab hoc Sacramento arcerentur, nam vnusquisque etiam timoratus timere posset ne fortè minister aliquod occultum peccatum ipsi affingat, ut eà ratione possit ei communionem negare. vnde præceptum communionis redderetur humano generi valde rigidum, quod cum tanto timore & animi inquietudine obligaret, seu verius propter huiusmodi iustum timorem elideretur, & potissimum quando pastor cogno-

scitur minus prudens. vnde 3. ex illo modo procedendi grauis perturbatio in genere humano oritur, ergo signum est à posteriori, non licere ministro denegare Eucharistiam occulto peccatori publicè petenti.

Confir. 2. minister huius Sacramenti in publicà administratione debet se dirigere ex publicà scientià, secundum quam occultus peccator habetur bonus, & ad hoc Sacramentum admittendus.

Confir. 3. minister in eo casu non potest censeri infidelis dispensator, vel sancta indignè tractare, nec etiam dici potest peccare cooperando peccato alterius, ergo non tenetur negare ne peccet præbendo, & de cetero tenetur famam alterius non lādere, quod faceret negando, ergo negare non potest. antecedens patet pro priori parte, quia potest censeri permissuè se habere ad peccatum alterius, quando non potest impedire absque latione famæ ipsius: non censetur etiam infideliter dispensare, si eum, qui publicà famà bonus est, admittat ad communionem.

Ex his sequitur, quòd minister non possit arcere occultum peccatorem publicè petentem, non ori ex iure, quod habet, ut hoc Sacramentum ei præbeatur, sed ex iure, quod habet, ut non infametur, vel saltem ex præcepto charitatis non lādendi illius famam. patet: quia si hæc circumstantia per possibile vel impossibile separaretur, posset occulto peccatori publicè petenti negari communicatio, quia tamen moraliter separari nequit, non potest in praxi negari absque graui sacrilegio; quod non tantum verum est respectu pastoris, & respectu temporis præcepti, sed etiam respectu aliorum: si enim alia solida causa adferri non possit, non potest negari exposito ad communicandum, quando sacerdos promissuè aliis præbet communionem, nisi ingeneretur grauis suspicio alicuius grauioris peccati, saltem actus ex suà conditione est generatius.

Ex quo patet nullo modo probandam praxim sacerdotis, qui mulieri cum aliis in scamno communicantium paratæ ad communicandum labia compresit, & ita pertransiit; non est inquam probandum, quia periculosissimum fuit, cum vicini facile potuerint aduerrere non præberi illi communionem, & potuerit grauis perturbatio ingenerari.

Obiicitur 1. sacerdos poterit aliquando hostiam non consecratam præbere, & ita consulere famam petentis, ergo tenebitur ita facere. Aliqui censent id fieri posse præsertim ex conuentione sacerdotis, & eius, qui ad communionem est accessurus. Bonauent. dist. 9. art. 2. quæst. 4. ad vltimum, & alij. Sed

Resp. id nullo modo fieri posse, ut D. Tho. hic ad 2. Caiet. Richar. dist. 9. art. 3. quæst. 1. §. argumenta ad partem aliam, Sotus art. 6. citato §. secundum arguitur, & plurimi alij tum antiqui tum recentiores. nam quantumuis inter se conueniant, actus ille ex se, & suà ratione est falsus actus religionis, & proinde intrinsecè malus, cum ipsa sumptio in his circumstantiis sit vsus Sacramenti, & externus Dei cultus, quod tamen ex suppositione falsum est. patet in simili ex cap. de homine, de celebratione Cap. de Missarum, vbi Innocentius tertius interrogatus quid dicendum de sacerdote, qui conscius peccati mortalis non valens propter necessitatem sacrum omittere non consecrat, sed simulat, ut populo satisfaciatur. Respondet grauius offendere, cum falsa sint abiicienda, quæ veris sunt periculis grauiora.

igitur

Vt peccatum alterius euitetur, non licet eum infamare. Confirmatio conclusio ex absurdis.

igitur in nostro casu ad euitandam indignam alterius communionem, non potest præberi hostia non consecrata.

Confir. talis hostia, moraliter loquendo, præbetur adoranda; unde sacerdos moraliter est causa materialis idolatriæ.

Obiicitur 2. si quis enssem apud alium depofuerit, quem repetat, vt sibi, vel alij noceat, potest, & debet negari, quamuis prauus animus priuati non manifestari deberet, isque deberet infamari, ergo potest negari Eucharistia occulto peccatori publicè petenti, quamuis eâ de causâ sit infamandus.

Resp. neg. consequentiam, est enim dispar ratio, quod ille, qui indignè accessurus est ad Sacramentum, sibi noceat in eo, quod suæ potestati subest; quemadmodum enim honesto Sacramento rum vfu, vel virtutum exercitio cum Dei auxilio potest aliquis vitam spirituales animæ comparare, ita potest sine cuiusquam iniuriâ eam perdere, & per se loquendo, v. g. si res sit secreta, non potest infamari, eò quod illam perdat: qui verò repetit enssem, vt alteri noceat, versatur in exteriori medio ad nocendum alteri contra iustitiam, ac proinde alter defendi potest etiam cum illius infamia, quia nullus tenetur famam alicuius seruire, si necesse sit eius conatum manifestare ad auertendum damnum tertij, quod machinatur, idem dicendum de eo, qui sibi vult vitam eripere, quæ nullo modo subest eius dominio.

ARTICVLVS VII.

Virum nocturna pollutio aliquem impediat à sumptione huius Sacramenti?

RESPONDET 1. pollutionem, quæ est mortalis vel effectus peccati mortalis, de necessitate impedire accessum ad hoc Sacramentum, nisi videlicet aliquem peccati poeniteat, isque confiteatur, in quo pollutio conuenit cum aliis mortalibus.

Respondet 2. pollutionem etiam sine peccato ortam impedire ex quadam congruitate, tum propter sceleratam corporis, quæ aliquo modo repugnat reuerentiæ huius Sacramenti, tum propter distractionem mentis, quæ peculiariter relinquenda solet ex pollutione.

Communis inter Doctores conuenit nullam pollutionem etiam mortalem, peractâ poenitentia, & præmissâ confessione, impedire sub mortali sumptionem huius Sacramenti. quæri verò potest, num saltem sit veniale post huiusmodi pollutionem accedere ad hoc Sacramentum præmissâ confessione? Affirmat Caietan, in summa, verbo communio num. 6. Viâ. num. 81. Sotus distinct. 12. quæst. 1. artic. 7. §. 3. *tertia propositio*, Toletus lib. 6. cap. 16. num. 31. & alij.

Verius tamen videtur, si nullus libidinis sensus remaneat, nullaque mentis euagatio, nullam esse culpam etiam venialem ad hoc Sacramentum accedere, peractâ poenitentia, modo explicato, videtur sentire Nauar, cap. 21. summæ num. 51. & sentit Lessius in hunc art.

Ex quo sequitur à fortiori, nullum esse peccatum accedere ad hoc Sacramentum post inuoluntariam pollutionem, quia huiusmodi peccatum neque potest colligi ex rei naturâ, neque ex aliquo præcepto positio, nam quod sanctus Thomas,

responsione 2. docet impedire ex congruitate, non ita est intelligendum, vt, si fiat contrarium, per se loquendo, sit peccatum saltem leue, sed quod sit magis congruum abstinere, vt communiter Doctores. unde licet non sit necessarium, est tamen consilij, & cuiusdam decentiæ eum, qui passus est pollutionem etiam inuoluntariam, vno die abstinere à communione, quod probatur ex Apostolo 1. ad Cor. 14. 7. qui censet decens esse, vt etiam coniugati orationis causâ mutuo consensu abstineant ab actu coniugali, estque conueniens dignitati, & puritati huius Sacramenti. vbi tamen

Aduerte mediocrem aliquam causam facile præualere huic congruentiæ: unde die solemni, quo decet hoc Sacramentum sumi, potest omnino sumi etiam ab eo, qui passus est pollutionem. similiter si sit necesse communicare, vt si religiosus ex regulâ communicare debeat; item si iubilæum sit promerendum, immò in casu necessitatis, vel magnæ vtilitatis, sumi potest, quamuis remaneat aliquis libidinis sensus, quia in his circumstantiis homo potest censi permissiue se habere circa huiusmodi passionem, neque propter eam debet impediri ab executione rei necessariæ, vel valde vtilis. Immo deuotio & desiderium magnum communionis potest sufficere, vt non censeatur minus congruum communicare post pollutionem inuoluntariam.

Ex quo patet quod licet sit suadendum coniugij, qui debitum petiit, vt eo die abstinere à communione, nisi circumstantia aliud suadeat; pars tamen quæ debitum reddit, non sit vrgenda, cum non debeat facile priuari tanto bono, eò quod suæ obligationi satisfecerit; esset enim illi valde onerosum.

Iuxta hæc possunt explicari varij Patres, qui aliàs videri possint inter se contrarij: nam qui videntur docere non licere, possunt intelligi non licere ratione effectus secuturi, quod scilicet sit aliquale peccatum communicare remanente libidinis sensu, vel distractione propter præcedentem pollutionem; aliqui volunt id esse minus decens & dissuadendum. Alij verò, rem secundum se spectantes, censent nullum esse peccatum post pollutionem inuoluntariam communicare. videri potest S. Gregorius in responsionibus ad Augustinum Anglorum Episcopum, responsione 10. & 11.

Explicatur PP. in speciem resolutioni data contrarij.

ARTICVLVS VIII.

Virum cibis vel potus præassumptus impediat sumptionem huius Sacramenti?

AFFIRMAT.

DVBIUM I.

Virum hoc Sacramentum communiter solum possit sumi à ieiunis?

36.

LVTHERSVS, quem alij sequuntur hæretici, negat: Sed

Certum est, quibusdam casibus exceptis, ita requiri ieiunium, vt nulli non ieiuno liceat hoc Sacramentum sumere, idque ex constitutione Apostolica, vt testatur August. epist. 118. cap. 6. dicens: *Placet Spiritui S. vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam exteri cibi.*

Resp. affir. contra Lutherum, & alios hæreticos.

Carthag.

Matifco-
nensis 2.
Constant

Tertull.

Chrysost.

August.
Congruen-
tia piace-
pti.37.
Obiectio 1.
Resp.

Obiectio 1.

Resp.

Obiectio 2.

Resp.

cibi: nam ideo per uniuersum orbem mos iste seruatur. Eadem constitutio in variis Conciliis repetitur, Carthaginensi 3, cap. 29. ubi dicitur, ut Sacramenta altaris non nisi à ieiunio hominibus celebrentur, quod repetitur in Concil. Matifconensi 2, cap. 6. & in Concil. Constantiensi sess. 13. ex quo patet errorem asserentium communionem dandam non ieiunio esse antiquiorem Luthero.

Idem docent Patres Tertull. lib. 2. ad uxorem, cap. 5. ubi agens de sumptione Eucharistie ait: Non fiet maritus quid secreto ante omnem cibum gustasset & si sciret, panem non illum credit esse, qui dicitur. Chrysost. homilia 23. in 1. ad Corinth. in illa verba, cap. 11. Itaque quicumque manducauerit, agens de Eucharistia ait: Tu autem priusquam accipias ieiunas, ut aliquo modo dignus communicatione videaris, cum autem acceperis, & oporteret in continentia perseverare, omnia perdis. August. loco citato. Congruentia legis est, quod deceat in reuerentiam tanti Sacramenti Christum esse primum cibum, utque nihil præsumatur; similiter, ut euitetur vomitus periculum.

Obiectur 1. quod Christus hoc Sacramentum post cenam instituerit, & præbuerit non ieiunio. Resp. id non obstat, ideo enim Christus instituit post cenam legalem, ut finem imponeret figuris; Apostoli tamen iuxta potestatem sibi creditam statuerunt, ut in honorem tanti Sacramenti non nisi à ieiunio sumeretur.

Obiectur 2. in Concil. Carthag. citato, post verba à nobis relata dicitur: Excepto vno die anniuersario, quo cena Domini celebratur, ubi significatur in die cenæ Domini sacrificium debere, vel saltem posse à non ieiunio celebrari, & per consequens hoc Sacramentum sumi posse à non ieiunio, quod renouatur in Concil. Matifconensi.

Resp. 1. ex ipso Concilio haberi non licere promittere non ieiunio communicare, ut volunt hæretici, sed tantum feriā quintā cenæ Domini, idque in commemorationem institutionis huius Sacramenti, ut notauit August. epist. citata cap. 7.

Resp. 2. decretum, seu permissionem illius Concilij nunquam fuisse vniuersaliter receptam, sed potius contraria Ecclesiæ consuetudine reiectam. & sanè Concil. particulare non potuit contra decreta Apostolica hac in parte dispensare.

Obiectur 3. quod Apostolus 1. ad Corinth. 11. dicat: Si quis esurit, domi manducet, quibus verbis videtur permittere, ut pransi hoc Sacramentum recipiant.

Resp. 1. nihil hinc in fauorem hæreticorum confici: nam aliquid iure naturæ, vel diuino indifferens potuit primo permitti, postmodum tamen iustis de causis prohiberi.

Resp. tamen 2. Apostolum eo loco non concedere, ut Corinthij post communes cibos Eucharistiam in Ecclesiā sumere possent, sed eorum prauam consuetudinem redarguere, quod scilicet in suā agapē, seu in conuiuio, quod communiter solebant instituire ad fouendam charitatem, paruam charitatem exhiberent, dum diuites neglectis pauperibus splendide epularentur, atque adeo non manducarent cenam Dominicam, id est agapē ad imitationem cenæ Dominicæ institutam. Apostolus ergo eo loco non agit de sumptione Eucharistie, neque verba à nobis relata ex fine cap. referuntur ad manducationem Eucharistie, sed ad illa verba: Conuenientibus ergo vobis in vnum iam non est Dominicam cenam manducare, unusquisque enim suam cenam præsumit ad manducandum, & alius quidem est.

rit, alius autem ebrius est: numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quasi dicat: non instituitis epulum charitatis, sed vniuersique suum sumunt ad confusionem pauperum, qui negliguntur; satius esset eos, qui alios non possunt expectare, domi manducare: quæ omnia dicta sunt, antequam sermonem de Eucharistia institueret. Varij aliter hunc locum interpretantur, quorum interpretatio videtur minus conformis textui, videri potest S. Tho. hic, ad 2. similiter Sorus dist. 12. quæst. 1. citata art. 8.

Quæri potest quale ieiunium requiratur, vtrum naturale, an verò sufficiat ecclesiasticum; posterius enim sufficere senserunt Gotfridus & Ioannes Parisiensis, ut refert Silu. verbo Eucharistia, 3. quæst. 6. quorum proinde sententiā licet communicare post sumptam medicinam, vel post sumptum aliquid modicum, per modum medicinæ, vel eo modo, quo ieiunium ecclesiasticum non censetur solui.

Verum communissima Theologorum, & Summistarum sententia est contraria ipso sensu & vsu Ecclesiæ comprobata, & ita certa, ut alia nullo modo sustineri possit, vel in praxim deduci, ad ritum ergo communicandum requiritur naturale ieiunium, ita ut à media nocte vsque ad tempus communionis nihil sumptum sit, quod aliquā tandem ratione per modum cibi, aut potus censetur se habere.

Dixi, à mediā nocte, nam licet in variis locis pro regionum diuersitate dies in ordine ad negotia variè inchoari, & distinguī soleat, in hac tamen materiā vsu Ecclesiæ inchoatur à media nocte; quod notandum est pro itinerantibus; si quis enim in itinere velit sequenti die celebrare, vel communicare, sitque in loco, ubi hora non audiuntur, debet diligenter cauere, ne se exponat periculo quidquam sumendi post mediam noctem.

Aduerte non requiri somnum intermedium, vnde licet aliquis post sumptum cibum non dormierit, si sit ieiunius à media nocte, non impeditur ex eo capite Eucharistiam sumere. Ex quo patet aliquos debiles, qui vix per horam post mediam noctem possunt à cibo abstinere, posse sub finem præcedentis diei cibum sumere, & statim initio sequentis communicare.

Petes 1. quomodo se diriget aliquis, qui versatur eo loco, ubi sunt plura horologia non consonantia? Aliqui censent eum, qui post auditam duodecimam nocturnam in vno loco, cibum sumpsit, debere abstinere à celebratione, vel communionē.

Sed verius videtur quod possit sequi tardius horologium, nisi constet illud errare. vnde si antiquam illud sonuit duodecimam, finiat refectio- nem, potest celebrare vel communicare. nam talia horologia se habent instar duarum sententiarum probabilium, quarum vna dicit: iam est dies naturalis, altera vero dicit: nondum est dies naturalis, & proinde, quemadmodum licet sequi sententiam dicentem: nondum est dies naturalis, nec tamen impediris post cibum iam sumptum crastino die communicare, ita licet iuxta posterius horologium se dirigere in ordine ad communionem.

Petes 2. quantum sit peccatum communicare soluto naturali ieiunio?

Resp. esse mortale, nec posse fieri veniale ex leuitate materiæ, quia materia huius præcepti negatiui non est abstinencia à cibo vel potu, cuius violatio pro leuitate materiæ posset esse levis; sed est

non

non sumptio Eucharistiæ post cibum aut potum, quod violare est graue, & proinde, si quis etiam post vnam guttam aquæ voluntariè traiecitam per os in stomachum communicet, peccat mortaliter, nisi excusetur ignorantia, vel inaduertentiâ inuincibili.

Ex quo patet, quod sacerdos, qui in Missâ sumptit ablutionem non possit progredi ad vltiorem Missam celebrandam, vt decernitur cap. ex parte, de celebratione Missarum. ex quo capitulo satis constat etiam minimam sumptionem impedire communionem, cum in sacro parum pro ablutione sumi soleat.

Vltius patet, quod pastor ruralis, qui duobus in locis eodem die debet celebrare, non debeat in priori Missâ ablutionem sumere; similiter nec debeat in die Parasceues in priori celebratione partem hostiæ immittere in calicem, in quo est vinum non consecratum, quia sumendo illam cum vino, soluit ieiunium naturale, & proinde non potest ad secundam communionem pergere, neque oppositum est probabile, vnde si sacerdos alicubi id faciat, mortaliter peccat; neque potest Episcopus hac in re dispensare, & contraria consuetudo licubi sit, continet manifestum abusum.

Ex dictis etiam patet nihil posse sumi ante communionem per os voluntariè, siue sit cibus, siue potus, siue medicina, siue nutriat, siue non, quia quidquid ita sumitur, sumitur per modum cibi, aut potus, comedendo aut bibendo; quod autem nutriat vel non nutriat, vel quod sumatur potius ad curationem, quam nutrimentum est impertinens. vnde non licet sumere saccarum, glyciriam, aromata, & alia, neque facile licet in ore habere ea, quæ facile resoluantur; quia dum voluntariè tenentur in ore, & resoluta transmittuntur in stomachum, censentur voluntariè sumi per modum cibi, vel potus. impeditur etiam communio per sumptionem tabaci quando per os sumitur, & in stomachum transmittitur, quia sumitur per modum cibi, siue nutriat siue non, & non transmittitur fortuito, seu casu. idem dicendum si quis ad curandam rauedinem, catharum &c. sumat sub noctem aliqua, quæ post mediam noctem traiecit in stomachum: cum enim hæc sumantur per modum medicinæ, & soleant traieci, communionem impediunt etiam si pridie ori fuerint imposita, dummodo post mediam noctem traiciantur, quod verum est licet ipsa traiectio casu fiat, quia censetur in causâ voluntaria.

Neque hæc solum impediunt communionem, quando constat traiecta post mediam noctem, sed etiam quando dubium est, si enim, aliquis præcedenti vespere quidquam ori imposuit quod transmissit, & dubitat, num ante an verò post mediam noctem transmissit, non potest celebrare aut communicare; neque dicendus est in hoc dubio libertatem suam retinere, vel non debere eâ spoliari, quia non remanet dubius de traiectione, sed de tempore traiectionis, & proinde non potest dici quod possideat libertatem, quâ possit censi ieiunus in ordine ad communionem, nam vt aliquis possit censi ieiunus & possit liberè communicare, debet scire saltem iuxta sententiam probabilem, diem naturalem nondum inchoatum, cum aliquid sumeret.

Ex eo quod aliquid per os debeat sumi, sequitur quod salua, quæ in stomachum traiecitur, non impedit communionem, similiter sanguis, qui traiecitur a cerebro ad stomachum, quia non sumitur ab extrinseco per modum cibi.

Ex eo verò quod debeat sumi per modum cibi

&c. sequitur non solui ieiunium, si quis dum os abluat, dum prægustat cibos, vinum, ius &c. aliquid fortuito transmittat, quia id per modum saluæ transmittitur. Notant authores debere esse parum quantitatem, vt vix possit à saluâ separari, & transmittatur per modum vnius, sed non videtur magnus faciendus scrupulus, quamuis paulò maior quantitas casu transmittatur.

Dico, fortuito & casu, quia Doctores constanter tradunt, omne, quod voluntariè per os sumptum est, impedire communionem, quia tunc sumitur per modum cibi, aut potus.

Idem dicendum de reliquiis ciborum pridie sumptorum, quæ interdum hærent inter dentes, dicendum, inquam, non impedire communionem si casu transmittantur, quia dicuntur transmitti per modum saluæ: secus si transmittantur de industria, vt expressè notant varij authores. Nec enim videtur audiendus Tabiena, qui, verbo *communicare*, re, §. 49. censet reliquias cibi pridie sumpti transmissas die sequenti de industria in stomachum, non soluere ieiunium naturale, nec impedire sumptionem Eucharistiæ, quia ad hoc existimat requiri vt aliquid eodem die ab extrinseco in os mittatur, sed eius sententiâ aduersatur D. Tho. hic, ad 4. & communissima Doctorum sententiâ ex falso fundamento.

Ex dictis etiam sequitur non impedire communionem, si forte cum aëre, quem inspiramus casu aliquid transmittamus.

Aduerte non esse vllum præceptum, quo teneamur post communionem ieiunium ad certum tempus seruare: quamuis enim olim videretur aliquid eâ de re statutum à Clemente, id tamen saltem contrariâ consuetudine est abrogatum. congruum tamen est, & consulendum vt post communionem propter Sacramenti reuerentiam aliquanto tempore abstineatur à cibis materialibus, vide S. Tho. responsione ad 6.

D V B I V M II.

Vtrum aliquando liceat soluto ieiunio communicare?

RES. licet, patet ex Concil. Constantiensi sess. 13. ex D. Tho. hoc art. & communi Doctorum sententiâ, ipsa quæ praxi Ecclesiæ, nam præceptum Ecclesiasticum nihil sumendi per modum cibi, aut potus non potest ita strictè obligare, vt diuino, vel etiam naturali possit præualere. cum ergo præceptum diuinum interdum obliget ad hoc Sacramentum sumendum, siue homo sit ieiunus, siue non, Ecclesia suo præcepto non potest prohibere communionem, si quid sit præsumptum. Porro varij dantur casus, quibus liceat communicare soluto ieiunio naturali, vel etiam ecclesiastico, quorum vnus respicit per se eos, qui modo laico communicant; alij sacerdotem communicantem in sacrificio: vnus respicit primariò sacerdotem, secundariò verò, & in eius defectum etiam laicum, vel non sacerdotem.

Primus ergo casus est mortis periculù, in quo, iudicio medici, non potest commodè differri cōmuniō in tempus, quo eger possit ieiunus cōmunicare. eo enim casu potest cōmuniō quouis tēpore præberi post sumptū cibū, pharmaca &c. nec est anxie procedendum, vt expectetur præcisè tēpus necessitatis,

Nō videtur faciendus scrupulus, licet paulò maior quantitas casu traieciatur.

Improbatur Tabiena qui sentit reliquias cibi pridie sumpti de industria traiectos non impedire cōmuniōnem.

41. Resp. affir.

Casus, quibus liceat communicare soluto ieiunio.

quo ager non possit diutius expectare, quia hac perplexitas grauius posset ei nocere, dum fieri posset, vt subito deficiens moreretur sine viatico. res ergo moraliter est iudicanda. Quod si commode possit differri in sequentem diem, quo possit ieiunus communicare; differenda est propter Sacramenti reuerentiam. Quod dictum est de agro, dicendum est de lethali vulnerato, vel damnato ad mortem, quia inest illis necessitas viatici percipiendi, huic casui Toletus lib. 2. cap. 28. num. 4. addit, quando esset praeceptum communicandi, & infirmus non posset absque graui nocumēto omittere potionem, sed ea in parte est singularis, & illa sententia non videtur probabilis, cum eo casu communicatio possit sine peccato differri, nec Ecclesia censetur velle obligare ad communicandum eum, qui non potest ieiunus communicare.

Toletus sententia non probatur.

Ex his constat, si in mortis periculo constituto non possit aliter praebere communicatio, quam imponendo hostiam vino, posse eo modo praebere, vt si agrotus non possit res siccas transmittere, posset communicatio ei dari imposita parua parte hostiae cum vino in cochleari. vide Suarez disp. 68. sect. 6. §. secundus casus, post medium, & disp. 71. sect. 3. sub finem.

43.

Difficultas. Num in eodem morbo liceat sic capius communicare.

Difficultas est num in eodem morbo liceat sapius Eucharistiam sumere post cibum vel potum sumptum? Aliqui censent agrum post sex, aut octo dies posse ex deuotione communicare etiam post cibum sumptum. Alij vniuersim negant licere in eodem morbo plusquam semel communicare per modum viatici, sumpto cibo.

Resp.

Resp. 1. propter solam agroti deuotionem nullo modo licet illi non ieiuno communicare, in quo conueniunt Doctores.

Resp. 2. non est improbabile, quod si postquam periculum transactum est, rursus mutetur morbi status, & periculum redeat, possit communicatio praebere non ieiuno; quia tali circumstantia potest iterato praebere extrema vnctio; quidni ergo viaticum: & quidem cum eo privilegio, quo solet. 2. ratione communionis data per modum viatici non videntur debere gratiae praeuinentes, quando vis morbi se remisit; igitur quando redit periculum potest rursus sumi viaticum ad auxilia rursus obtinenda.

Confirm. ager rursus constituitur in noua necessitate istorum auxiliorum, quas tamen ratione praecedentis communionis ei non debentur.

Nec obstat quod non obligetur 2. sumere per modum viatici, nisi plane conualecat, quia licet rigide non teneatur, consultius tamen est sumere propter rationes allatas, ergo Ecclesia non videtur cum tanto rigore agere, vt, si forte non possit communicare ante sumptum cibum, in tanta spiritali necessitate careat huiusmodi praesidio.

Resp. 3. quando durat idem morbi status, quamuis morbus sit diuturnior, non videtur Eucharistia posse sumi a non ieiuno, quia eo euentu non potest sumi per modum viatici, cessantque rationes factae pro praecedenti responsione. vnde non videtur posse praesumi, quod eo casu praeceptum ecclesiasticum non obliget.

Aduerte tamen sententiam asserentem, quod quando morbus grauis est diuturnus, possit praebere communicatio non ieiuno; quamuis semel ita communicauerit, non esse improbabilem, esseque in praxi securam, quam tenet Suarez disp. 68. sect. 5. §. duo verò, & alij, propendatque Sa, verbo Eucharistia, num. 5.

Suares.

Secundus casus est, cum post vnus etiam species consecrationem sacerdos aduertit se non esse ieiunum, tunc enim debet in sacrificio pergere, & communicare, quia perfectio sacrificij & consumptio hostiae est maioris necessitatis quam ieiunium respectu communionis: cum ergo iure diuino communicatio requiratur ad complementum sacrificij, opus est vt sacerdos in sacrificio communique, etiam si recordaretur se non esse ieiunum. Immo aliqui censent posse pergere, licet aduertat ante consecrationem. Alij tamen probabilius id negant, excepto casu, quo non potest sine nota ab altari recedere, in quo casu idem dicendum de eo, qui est in scilicet communicantium, vt communicet.

Ad hunc casum reducitur, si sacerdos in sacrificio communicans sumpto calice aduertat vinum in eo non fuisse, hoc enim casu tenetur etiam non ieiunus vinum eum aqua accipere, consecrare, communicare.

Aduerte aliquos censere eo casu sacerdotem habentem aquam in ore debere eam in aliquem calicem mittere, & post vini consecrationem & sumptionem eam accipere, sed id est satis difficile, itaque si sacerdos bona fide procedens illam aquam sumat, antequam de nouo consecret, non peccat.

Propter rationem paulo ante dictam, si sacerdos post consecrationem panis etiam ante consecrationem calicis deficiat, nec alius ieiunus possit perficere, potest & tenetur aliquis non ieiunus perficere, & communicare, id exigente perfectione sacrificij, quae est maioris ponderis, quam sit ieiunium ante communionem seruandum.

Tertius casus praecedenti similis, immo ex eodem principio deducendus est, cum post sumptum sanguinem particula hostiae consecrata in calicem immixta eidem adharet, ea enim potest vel digito ad labium calicis adduci, & sumi, vel infuso vino sumi, vt monetur in Missali Romano in rubricis, §. 8. de defectibus in ministerio ipso occurrentibus, quo posteriori casu moraliter certum est aliquid vini prius in stomachum transmitti, quam illam partem hostiae. Item quando post ablutionem aduertuntur aliquae particulae hostiae in patena, vel labio calicis adherere, sumi possunt vt communionis tradunt Doctores, quia complementum sacrificij est praerendum legi ieiunij praemittendi sumptioni Eucharistiae; sumptio autem illarum particularum ad hoc complementum pertinet, & moraliter constat vniam actionem sacramentalem cum aliis, in cuius initio seruatum est ieiunium naturale. quare ratione, si dum laicus communicat hostia adhaereat eius palato, potest sumpto vino transmitti, quamuis, moraliter loquendo, prius aliquid vini deglutatur: nam actio sacramentalis a ieiuno est inchoata, quod sufficit, quando non potest a plane ieiuno perfici; quod in hoc casu communionis laici, plures tradunt.

Notandum 1. quod dicitur de particulis post ablutionem sumendis, intelligitur de particulis hostiae in illo sacrificio consecratae, sine illa sint formulae principalis, siue aliarum, quia etiam sumptio particularum secundariorum formularum pertinet ad munus sacerdotis, vnde quamdiu versatur in altari, potest ea sumere, etiam diu post suam communionem, & postea notat aliquas particulas in calice, vel patena: non potest tamen eas sumere, postquam ab altari recessit, excepto casu paulo post referendo, quia iam absoluit totam actionem sacrificij.

Dixi,

Dixi, *hostia in illo sacrificio consecrata*, quia sacerdos non potest post ablutionem sumere particulas hostiæ in alio sacro consecrata, cum illius sumptio non pertineat ad complementum præsentis sacrificij, itaque si aduertat particulam hostiæ in alio sacrificio consecrata, eamumat, si possit, ante ablutionem post sumptionem calicis, vel saltem immittat eam cum aliis in calicem.

Notandum 2. sacerdotem ita posse formulas secundarias in eodem sacrificio consecratas sumere, ut tamen possit pro aliis communicaturis relinquere, vel etiam relinquere consumendas ab alio sacerdote in alio sacrificio ante ablutionem, quia consumptio hostiarum secundariarum, quæ consecrantur in aliorum gratiam, non est ita necessaria, sicut primaria.

Quartus casus est, quando est periculum ne committatur irreuerentia erga Sacramentum, ut si v. g. sit periculum, ne Eucharistia indignè tractetur ab hæreticis, vel infidelibus, ne comedatur à mure, ne decidat, & conculcetur &c. unde sacerdos etiam non ieiunus irruentibus hæreticis potest hostias consecratas consumere, si aliter periculum commodè non possit auertere, immo eius defectu idem potest alius inferior etiam laicus; quia reuerentia huic Sacramento debita in similibus casibus magis obligat, ut sumatur Eucharistia, quam lex de ieiunio. Unde, si sacerdos absoluto sacrificio reuersus in sacrificiam aduertat aliquas particulas hostiæ, sique probabile periculum, quod aliquid indecens accideret, v. g. quod in terram decideret, & conculcabuntur, potest eas sumere, si periculo non possit aliter occurrere.

Ex his patet quod, quando ciborium est purgandum, particulae sint sumendæ ante ablutionem, quantum fieri potest, aliàs sumi possunt cum vino, vel aqua immixta in ciborium, quia non possunt aliter commodè consumi.

Difficultas est, an liceat sacerdoti non ieiuno celebrare ad præbendam communionem infirmo constituto in periculo vitæ? Maior dist. 9. quæst. 3. ad 5. ait licere, additque alia parum recepta, quod scilicet in eo casu liceret sacerdoti vnam speciem consecrare sine aliâ, liceret consecrare non communicando, liceret consecrare particulam panis fermentati, si non haberet azymum, item sine vestibus &c. quorum aliqua a se repugnant iuri diuino, alia sunt contra grauiissima Ecclesiæ præcepta, cum Latinus in Ecclesiâ Latinâ vetetur consecrare in fermentato, vetetur etiam sacerdos consecrare sine vestibus sacris. Adde quod iuxta sententiam Maioris sacerdos posset celebrare sine altari, posset etiam aliquoties in die celebrare non ieiunus, quæ sunt contra morem Ecclesiasticum grauius obligantem.

Vnde communiter negatur sacerdotem eo casu posse non ieiunum celebrare. ita Palud. distinct. 8. quæst. 2. art. 1. Viç. num. 83. Sotus dist. 12. quæst. 1. art. 8. & Iuanes Maior, & passim alij, neque potest sententia Maioris in praxim deduci absque summo sacrilegio.

Nec obstat, quod æger teneatur diuino iure communicare in mortis articulo, quia illud præceptum non obligat deficiente materiâ, scilicet hostia consecrata: itaque eo casu æger defectu materiæ liberatur ab obligatione viatici recipiendi, & pastor liberatur ab obligatione Sacramenti ministrandi: non potest enim ministrare, nisi sit materia legitimè consecrata.

Dices sacerdos, & potissimum pastor potest

consecrare, tantumque obstat, quod non sit ieiunus, ut supponimus, atqui hoc non videtur obstat, cum præceptum humanum de non sumendo Christi corpore soluto naturali ieiunio, non videatur posse præualere præcepto, quo pastor tenetur celebrare, ut suo subdito morituro communionem præbeat.

Resp. neg. subsumptum, ad probationem, dico Obligatio quod obligatio celebrandi, ut ægrotus communicetur, sit quodammodo conditionata, si videlicet legitimè fieri possit iuxta ritum Ecclesiæ: cum enim pastor, & quilibet alius sacerdos sit minister Ecclesiæ, debet in sacro faciendo præscriptos ab eâ ritus obseruare: unde si non possit seruare, non potest celebrare, etiam eo casu, quo teneretur aliququin celebrare, ut subdito communionem præberet, neque censetur Ecclesia dispensare, vel eius præceptum dicto casu cessare. licet enim præceptum, ut non nisi à ieiuno celebraretur, sit humanum, quia tamen plurimum facit ad reuerentiam sacrificij, & Sacramenti, Ecclesia non vult vllò inquam casu negligi, id committendo sacerdotis iudicio.

Dices, extrema proximè necessitas id potest exigere. Resp. neg. rem moraliter considerando, quia, si ægrotus utatur ratione, potest excitari ad actus contritionis, potest etiam ei impendi absolutio: si non utatur, rarissimum est, ut hoc Sacramentum iudicetur ad salutem necessarium, ut propter casum moraliter non contingentem possint priuato iudicio sacerdotis negligi ritus valde graues ab Ecclesiâ præscripti. Nec refert, quod æger possit sumpto cibo per modum viatici communicare 1. quia Ecclesia id declarat. 2. quia casus potest esse frequens, & manifestum, quod æger non possit in alium diem expectare, quod vero sacerdos debeat celebrare soluto ieiunio, non est casus moralis, præsertim si, ut fit, & fieri debet, in Ecclesiâ asseruetur Eucharistiæ Sacramentum pro similibus casibus.

Petes 1. an saltem possit Episcopus in hoc diff. Peticio 1. pensare?

Citatur Palacius asserens, verum in nullo modo Resp. est admittendum, quia non potest colligi Ecclesiæ Episcopo hanc facultatem tribuere, sicut censetur tribuere in casibus frequenter occurrentibus, in quibus pro bono animarum moraliter est necesse competere potestatem dispensandi in lege vniuersali Ecclesiæ.

Petes 2. an ad vitandum scandalum sacerdos Peticio 2. non ieiunus possit celebrare? secunda.

Resp. moraliter loquendo non apparere quod nam scandalum oriri possit, si non ieiunus abstineat à sacro faciendo; admiratio, quæ oriri potest non sufficit, ei que potest occurrere, si dicatur sacerdotem non aduertendo ad sacrum faciendum aliquid sumpsisse, nec posse eo die celebrare, quâ in re nulla nota incurrit potest. unde sacerdos propter similem admirationem non potest primitias celebrare soluto ieiunio naturali. de quo casu non tractant auctores, hanc partem ex principiis generalibus supponentes, & aliqui expressè notant ne quidem ad vitandum scandalum sacerdotem posse celebrare soluto ieiunio. Silu. verbo Eucharistia 3. quæst. 6. Sylu. Nauarrus cap. 21. num. 53. & alij aliqui tamen in eo casu contrarium sentiunt.

ARTICVLVS IX.

Utrum non habentes usum rationis debeant suscipere hoc Sacramentum?

Resp.

RESPONDET 1. infantes, & amentes à natiuitate non debere recipere.

Respondet 2. carentes usu rationis, qui eum aliquando habuerunt, censenturque hoc Sacramentum petijisse, posse recipere in fine vite per modum viatici, si non sit periculum irreuerentiae, vel vomitus.

50.

Concil. Tolet. 11. Trid. Cyp.

Notandum olim præberi solitam Eucharistiam paruulis, quod supponit Concil. Toletanum 11. cap. 11. & patet ex Trid. sess. 21. cap. 4. & ex Cyp. serm. de lapsis, post medium, iam tamen non solum præberi: quamuis enim, ut ait Trident. suprâ, non sit damna antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando seruauit, tamen nullâ salutis necessitate id fecisse sine controuersia credendum est. unde, quia hoc Sacramentum non est paruulis necessarium, ut eadem sess. can. 4. definit Concil. neque hi obligantur hoc Sacramentum recipere ante annos discretionis, ut idem Concil. cap. 4. iustis de causis antiqua consuetudo est abrogata, ut consuleretur reuerentiae huius Sacramenti, & euitaretur incommoda vomitus, vel alia.

Obiectio.

Dices, infantes sunt capaces fructus huius Sacramenti, ergo &c.

Aliqui negant antecedens; sed antiqua consuetudo contrarium declarat: si enim infantes non essent capaces fructus, non potuissent olim sine sacrilegio quocumque prætextu illis præberi, cum Sacramentum non possit absque sacrilegio præberi, qui non potest eiusdem effectum recipere. Unde concessio antecedente nego consequentiam, quia cum gratia huius Sacramenti non sit paruulis necessaria ad salutem, potest Eucharistia illis negari absque vllâ iniuriâ, ut euitentur incommoda, quæ possent oriri in grauem irreuerentiam huius Sacramenti.

Resp.

Quoad alios, quamuis quidam videantur negare; alij tamen probabilius censent posse Eucharistiam illis ministrari in fine vite, si absit vomitus periculum, & ad id sufficere, ut vitâ laudabiliter actâ eam censeantur interpretatiue petijisse. item sufficere, si postquam in peccatâ inciderint, ostendant doloris signa, potestque etiam energumenis ministrari, ut D. Tho. hic, ad 2. & alij.

Propter Sacramenti reuerentiam non solet his amentibus Eucharistia quot annis præberi.

ARTICVLVS X.

Utrum liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere?

Resp.

RESPONDET 1. si consideretur virtus huius Sacramenti, quæ hominibus est valde salutaris, laudabile est quotidie communicare.

Respondet 2. nihilominus propter varia hominum impedimenta non est consulendum quotidie ad hoc Sacramentum accedere.

51.

Ahor. 2.

Notandum, initio Ecclesie fideles solitos quotidie communicare, ut insinuat Act. 2. erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. quibus postremis ver-

bis iuxta multorum interpretationem agitur de fractione panis Eucharistici, & sumptione Sacramenti, quæ videtur fuisse quotidiana, sicut oratio, cuius quotidianâ communionis meminit & ad illam hortatur Hieronymus epist. 28. quæ est ad Lucinum in fine. Cyp. serm. de oratione Domini, nica, explicans illud: panem nostrum quotidianum, qui censet non parui esse detrimenti abstinere à communione quotidianâ. Ambr. lib. 4. de Sacramentis cap. 6. eam tamen nec laudat, nec vituperat Aug. epist. 18. cap. 3. nec est vllum diuinum, vel humanum præceptum quotidie communicandi.

Ex his patet quàm sit laudabilis consuetudo frequenter communicandi, ad quam etiam Patres sæpè hortantur, & Concil. Trid. sess. 13. cap. 8. in fine, & sess. 22. cap. 6. sacerdotes decet quàm frequentissimè communicare, similiter religiosos, pro alijs res est relinquenda pij & prudentis confessarij iudicio, & quamuis Nauarrus cap. 21. in fine valde commendat communionem quotidianam, graues tamen auctores censent propter reuerentiam huius Sacramenti satis esse secularibus non communicare quotidie, sed ferè octavo quoque die, vel paulò saepius.

Aduerte tamen 1. non facile differendam communionem propter indeuotionem, vel propter peccata venialia, in quæ aliquis frequenter incidit, cum hoc Sacramentum plurimum iuuat ad concipiendum deuotionis affectum & venialium remissionem, præter maximum gratiæ cumulum, qui per sacramentalem communionem ex opere operato obtinetur.

Aduerte 2. quamuis nulla sit lex ecclesiastica, quæ specialiter prohibeat laicis bis in die communicare, ecclesiasticam tamen consuetudinem declarare id non licere, & esse graue peccatum secundò communicare intra diem naturalem, secus casu, quo propter periculum irreuerentiae inferendæ Sacramento illud sumeretur, intra diem naturalem licet ieiuno quolibet horâ communicare.

ARTICVLVS XI.

Utrum liceat omnino à communione cessare?

NEGAT. quod probat partim ex Lucæ 22. hoc facite in meam commemorationem, partim ex statuto Ecclesie.

DVBIUM I.

Utrum sit diuinum præceptum de communione laica?

NEGANT Alensis 4. parte quaest. 51. membro 4. S. Tho. in 4. dist. 9. quaest. 1. art. 1. quaest. 2. Gab. lectione 87. in canonem, & plures alij, Caiet. verò in hunc art. dubitare videtur. Cæterum communis affirmant Doctores, S. Tho. hic, Dur. dist. 9. quaest. 2. Palud. Gab. quaest. 1. art. 2. concl. 2. Sotus dist. 12. quaest. 1. art. 11. quaest. 1. art. 11. Viêt. num. 86. & plures alij tum antiqui tum recentiores.

Hæc sententia est longè verior. Probatur 1. ex Gab. Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, quem locum ostendimus intelligendum de reali mandu-

manducatione carnis Christi in hoc Sacramento, quo supposito probatur, adulti, ad quos sermo Christi dirigitur, non habebunt vitam, nisi Christi carnem manducauerint, id est priuabuntur vitâ spirituali; atqui non priuabuntur propter defectum alicuius requisiti necessitate medijs, cum sumptio huius Sacramenti, per se loquendo, supponat vitam gratiæ in animâ, ergo propter neglectum, & omissionem præcepti, ergo sumptio huius Sacramenti est iure diuino præcepta.

Dices, si quid ex hoc loco probetur, probatur necessitas medijs.

Resp. neg. nam cum Eucharistiæ sumptio, per se loquendo, supponat vitam animâ, quæ pluribus alijs medijs potest conseruari, patet quoddam licet communio sit aptum medium ad vitam animæ conseruandam, & perseuerandam in gratiâ, non sit tamen necessarium, neque hoc in citatâ sententiâ indicetur, sed necessitas præcepti, vt patet ex formâ loquendi, Nisi manducaueritis, per quam actus in nostrâ potestate positus præcipitur.

Probatur 2. ex Luca 22. Hoc facite in meam commemorationem, vbi non tantum præcipitur sacerdotibus, vt consecrent, & sumant in sacrificio, sed etiam laicis vt communicent. nam iuxta diuersa membra, & actiones, sententia refertur ad varios secundum subiectorum conditionem, ad sacerdotem quidem, vt consecrât, sumant, alijs distribuunt: ad alios verò non sacrificantes, vt sumant à sacerdote, quemadmodum & Apostoli de manu Domini sumperunt.

Confir. 1. ex Apostolo 1. ad Cor. 11. Dominus Iesus, in qua nocte traditus, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite, & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, hoc facite in meam commemorationem. Quæ Apostoli verba potissimum diriguntur ad laicos, vnde intellexit Christum, instituendo hoc Sacramentum, imposuisse præceptum illud sumendi, atque adeo Lucæ 22. præceptum diuinum communionis laicæ continetur.

Confir. 2. ex Trid. sess. 13. cap. 2. dicente, Et in illius (scilicet Sacramenti Eucharistiæ) sumptione colere nos sui memoriam præcipitur.

Dices his locis non tam præcipi sumptionem Sacramenti, quam modum, quo ad illud accedere debeamus, vt scilicet, quando sumimus, in memoriam passionis Christi facimus. ita Caiet. hic. sed hæc explicatio non potest conuenire Trid. docenti Christum præcepisse, vt coleremus memoriam illius sumptione, id est, per sumptionem, quo constat præcipi substantiam actus, seu exercitium communionis, & non tantum conditionaliter, si sumamus, id faciamus in eius memoriam.

Confir. non est præceptum actu aliquo expresso recolendi memoriam passionis Christi, dum communicamus, nec etiam timorati illud agnoscunt, ergo verba Euangelistæ, & Apostoli non debent modo explicato conditionatè intelligi, sed absolute, vt videlicet præcipiatur communicatio, quæ est commemoratio passionis Christi.

Nec refert quod Patres hæc verba referant ad consecrationem, vt Dam. lib. 4. de fide. cap. 14. & alij: quamuis enim iuxta exigentiam, & scopum eius, quod tractant, agant de solâ consecratione, non tamen negant per verba citata Euangelistæ dari fidelibus præceptum communicandi.

Petes 1. an hoc præceptum obliget in mortis articulo: Aliqui negantes extare diuinum præceptum communionis censent eum, qui in Paschate communicauit, per se loquendo, non peccare mortaliter,

si non sumat hoc Sacramentum per modum viatici. videri potest Caiet. verbo *communio* §. 5. Siluest. verbo *Eucharistia* 3. in principio, Fumus verbo *communio*, num. 4.

Sed opposita sententia est verior, quam communis tenent Theologi, & videtur insinuare praxis Ecclesiæ, quæ maximâ diligentia procurat hoc Sacramentum morituris, etiam excommunicatis, hæreticis, si eos poeniteat. Et certè supposito diuino præcepto est maximè congruum, vt obliget in fine vitæ, vt eo tempore Christo vniamur, non tantum per exercitium virtutum, sed etiam per sumptionem huius Sacramenti, quo etiam in luctâ difficili contra peccata, & diaboli insultus roboremur. vbi

Notandum articulum mortis non ita esse intelligendum, vt hoc Sacramentum debeat sumi immediatè ante mortem ad hoc, vt diuino præcepto satisfiat: sic enim frequenter executio præcepti esset moraliter impossibilis, sed certum est satisfieri si in morbo graui quis communicet etiam pluribus diebus ante mortem, etiam si ex deuotione id faciat, & non ex intentione sumendi viatici, quia, vt præceptum impleatur, non est opus intentione illud implendi, vt communis in materiâ de legibus tradi solet, sed sufficit re ipsa voluntariè poni opus præceptum; quod etiam verum censéo, quantumuis ipsum præceptum memoriæ non occurrat.

Difficultas est, num sufficiat communicare ante ægritudinem, quando ex morbo incurritur mortis periculum. Aliqui existimant eum, qui communicauit paulo antequam in morbum incideret, liberari, hoc est octo vel quindecim diebus ante morbum. ita Palud. supra art. 1. in fine, Henriquez lib. de Eucharistia cap. 4. qui litterâ P. dicit esse communem recentiorum, Suarez disp. 69. sect. 3. §. 10. Toletus lib. 6. cap. 18. in fine. quam sententiam limitat Sotus art. 11. citato, nisi quis post acceptam Eucharistiam mortaliter peccarit, quæ limitatio non satis consentaneè ponitur: nam qui satisfecit præcepto diuino de hoc Sacramento sumendo, non tenetur illud denuò sumere propter subsequens peccatum mortale, vt patet in eo qui in periculo mortis constitutus incidit in mortale post sumptum viaticum, quæ nullus obligat ad rursus communicandum, & patet quia præceptum communionis in articulo mortis non oritur ex peccato, sed per se etiam iustum obligat, ergo qui ei satisfecit, non est grauandus propter subsequens peccatum.

Alij sentiunt non satisfieri præcepto, nisi sumatur Sacramentum intra tempus ægritudinis. ita Vasquez disp. 214. cap. 2. num. 13. & 14. primò, quia ante morbum inchoatum nõdum vrget præceptum; ergo nõ potest ita illi satisfieri vt expiret obligatio adueniente ægritudine. secundò non obstante præcedenti communione homo in periculo constitutus potest communicare non ieiunus, hæc sententia speculatiuè videtur verior, secundum quam licet aliquis vno vel altero die ante morbum communicasset, obligaretur nihilominus communicare in ægritudine constitutus in mortis periculo.

Aduerte tamen 1. priorem sententiam non esse improbabilem, propter Doctorum multitudinem in eam conspirantem, & quia rationibus Vasquez aliquo modo potest satisfieri. quamuis enim ante morbum non vrgeat præceptum, si tamen tam paruo intercedente intervallo sumpta sit Eucharistia, potest dici sumptum re ipsa viaticum, & quod est vile pro vnione, & confortatione in morbo,

Caiet.
Sylu.
Fumus.

Resp.
Obligat, in
mortis articulo.

Satisficit illi
præcepto,
si in morbo
gravi quis
communicet
etiam
pluribus
diebus ante
mortem, &c.

54.

Difficultas.

Multi ex-
citant ab
hoc præce-
pto, cum
qui 8. vel
15. diebus
ante morbum
communi-
cavit.

Vasq. vult
sumi tem-
pore ægri-
tutinis.

Hæc sen-
tentia vi-
detur ve-
rior.

Prior tamē
est proba-
bilis.

& proinde cessare obligationem vterioris communionis: quemadmodum si quis creditori obligetur tantum post annum reddere ceterum, si reddat ante tempus obligationis, omnino liberatur a debito. aliter se res habet in aliis preceptis, in quibus omnium iudicio onus est annexum tempori. ad aliud dico, quamvis non teneatur communicare, posse communicare cum privilegio agrotis concessio, quando communicat per modum viatici.

Aduerte 2. si quis in Paschate communicarit, qui post menses incidat in mortis periculum, per similem communionem non satisfaciet obligationi communicandi in articulo mortis, quia ea communio morali iudicio non potest dici habere rationem viatici. unde si quis data copia communicandi negligat, mortaliter peccat, & qui ita se gereret, male audiret, estque reiiciendus Sa verbo *Eucharistia* num. 1. si in hac circumstantia intelligatur.

Doctrina
Sa reijci-
tur.

Corollaria.

55.

Petitio se-
cunda.

Resp. affir.

Ex dictis patet milites inuitos periculosum conflictum obligari communicare; similiter inuitos periculosum iter vel periculosam nauigationem. 3. lethaliter vulneratos, qui medicorum iudicio sunt constituti in mortis periculo.

Petes 2. an diuinum preceptum communionis obliget extra mortis articulum?

Resp. probabiliter obligare, cum vsus Eucharistie sit preceptus, tanquam vsus Sacramenti vnitiui, Christus autem voluerit etiam in vita nobis hoc modo vniri. Quia tamen videtur difficile priuatim assignare tempus, quo vigeat hoc preceptum, Ecclesia prudenter illud determinauit, immo aliqui censent Christum ita reliquisse hanc determinationem Ecclesie, vt si ea nullum tempus determinasset, nullus teneretur in decursu vite extra mortis periculum communicare, quod tamen alij probabilius non requirunt.

56.

Petitio ter-
tia.

Petes 3. quinam hoc precepto diuino communionis obligentur?

Suppono paruulos non obligari, quod patet ex Trident. sess. 21. cap. 4. & can. 4. quod ita intelligitur, vt ne quidem pastores teneantur illis hoc Sacramentum ministrare, quod patet ex praxi Ecclesie Romane: sub paruulis autem comprehendendo etiam perpetuo amentes, hoc posito.

Resp.

Resp. omnes, & singulos adultos vtentes ratione obligari, quia preceptum Ioan. 6. est vniuersalissimum, extendens se ad omnes precepti capaces, & in Christo fuit sufficiens potestas omnes obligandi.

Coroll. 1.

Ex quo infertur 1. adultos nondum baptizatos obligari, nam quamvis non possint illud Sacramentum ante baptismum recipere, nec precepto satisfaciunt per talem receptionem, tamen obligantur eo precepto, ita vt si adultus negligat baptismum, peccet mortaliter etiam ex eo capite, quod in mortis articulo non communicet, & quod baptismum non receperit, vt posset rite communicare.

Coroll. 2.
Amentes aliquando
ratione
vlos tenent
hoc prece-
pto.

Infertur 2. amentes, qui ratione aliquando vsunt, teneri hoc precepto: nam in iis incept obligatio, cum ratione vtentur, quae propter superuenientem defectum vsus rationis non extinguitur, quamvis propter defectum libertatis non peccent, si non communicent. unde pastores tenentur eis communionem praebere in mortis articulo si bene vixerint, vel saltem signa doloris ediderint, nisi excuset periculum vomitus vel irreuerentiae erga Sacramentum, grauiterque peccant, si negligant illis Sacramentum ministrare, quo casu pu-

tarentur commodè sumpturi, cum modico vino posset & deberet hostia vino imponi, & ita praeberi.

Extra mortis articulum propter reuerentiam Sacramenti non solet illis administrari, quia iis, qui non possunt per proprium actum se preparare ad susceptionem tanti Sacramenti, Ecclesia non solet sine graui causa hoc Sacramentum ministrare, propter illius reuerentiam.

Infertur 3. pueros vtentes ratione obligari hoc precepto, & proinde teneri communicare in mortis articulo, & pastores teneri illis ministrare, quando autem habeant sufficientem vsus rationis, prudentis est iudicare, nec vna aetas pro omnibus potest assignari.

Aduertunt aliqui quod pueri non statim obligentur communicare cum primùm possunt, & tenentur confiteri, sed aliquanto maiorem rationis vsus requiri, quod non est improbabile, & confirmat communis praxis pastorum, qui non sunt solliciti pueris moribundis communionem praebere, videri potest Caiet. verbo, *Communio sacramentalis*. §. 3. Nauarrus cap. 21. num. 57. qui docet pueros aliquanto tardius posse communicare, quam confiteantur. 2. quod non teneantur in articulo mortis communicare ante etatem, in qua sani obligarentur. 3. quod non peccent, si expectent donec moneantur ab iis, qui eorum curam gerunt, videri etiam potest Sa verbo *Eucharistia* num. 12. Valquez disp. citata cap. 4. sub finem. Ratio est quod pueri non ante obligentur hoc Sacramentum suscipere, quam possint distinguere inter illum cibum spirituale, & communem, & adferre conuenientem reuerentiam, quod aliquanto tardius praebare possunt, quam discernant inter bonum, & malum, quod sufficit, vt obligentur confiteri.

Infertur 4. damnatos ad mortem obligari hoc Sacramentum recipere, vt communiter auctores, qui communiter censent non debere illis negari Eucharistiam. Silu. verbo *Eucharistia* 3. quest. 5. §. *etiam*, Angelus eodem verbo 3. num. 27. Videtur num. 86. qui reprehendit consuetudinem iudicium non permittentium damnatis ad mortem praeberi Eucharistiam. Sotus art. 11. citato, Nauar. cap. 25. num. 23. Toletus lib. 2. cap. 28. in fine, & lib. 6. cap. 16. in fine, Sa verbo, *Eucharistia* num. 2. Henriquez lib. de Eucharistia cap. 5. num. 4. littera V, docens iudicem negligenter peccare mortaliter, scilicet communiter. Suarez disput. 69. sect. 3. in fine, dicens antiquam consuetudinem Hispaniae nullà sufficiente ratione fuisse fundatam.

Probat ex cap. *super eo*, de hereticis, in sexto, vbi Alexander 4. agens de hereticis traditis Curiae seculari, dicit dandam communionem etiam relapsis. Confirm. ex constitutione Pij 5. anno 1569. quam Philippus 2. Hispaniarum Rex seruari iussit, referente Suarez supra, videri etiam potest Pastorale Mechliniense can. 7. de Eucharistia.

Quod si supplicium differri commodè non possit, potest iis ministrari communicatio eodem die paucis horis antequam supplicio afficiantur, vt censent plerique ex citatis auctoribus.

Dixi, communiter, quia in aliquo graui casu posset in penam negari, vel ad aliorum terrorem, & instructionem, id tamen communiter facere excedit limites iustae penae, licet Victor. Sotus, Nauarrus, Sa videantur excusare à mortali iudice negantes Eucharistiam damnatis extremo supplicio: si tamen antiquos canones consideremus, non videntur iudices tam liberè posse damnatis

Coroll.

Caiet.

Nauar.

Coroll.

Damnatos

ad mortem

teneri E-

ucharistiam

recipere.

Cap. 19.

57.

In aliquo

casu graui

posset ne-

gari dam-

natis ad

mortem.

damnis ad mortem Eucharistiam denegare, quia Ecclesia vult morituris etiam poenitentibus viaticum concedi. videri potest Concilium Nicanum cap. 12. Anciranum cap. 6. Carthag. 4. cap. 77. & 78.

Ex eo verò quod in poenam negari possit, non sumitur sufficiens argumentum ad probandum, quod non sit praeceptum diuinum in articulo mortis communicandi, quia cum huiusmodi obligatione optime consistit, quod publicè autoritate in poenam atrocissimi sceleris possit aliquis tanto bono priuari, nam per obligationem & praeceptum priuatis impositum non priuatur Ecclesia potestate puniendi malefactorem priuando aliquo bono, cuius priuatio in poenam potest cedere.

D V B I V M II.

De praecepto ecclesiastico communionis.

FABIANVS, vt patet ex epist. eius 3. cap. 3. & refertur can. *et si non*, de consecratione dist. 2. statuit vt fideles saltem ter in anno communicarent, scilicet in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini.

Innocentius 3. in Concilio magno Lateranensi statuit saltem in Paschate Eucharistiae Sacramentum recipere, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione ducerent abstinentiam, habetur cap. *omnis vtriusque*, de poenitentis, & remissionibus. circa quod decretum

Notandum 1. omnes fideles videntes ratione eo praecepto obligari, in pueris tamen iuxta communem Doctorum sententiam paulò maiori aetate, & rationis vsus requiritur, vt teneantur singulis annis hoc Sacramentum sumere, quam vt teneantur confiteri, vt scilicet maiori cum reuerentià ad hoc Sacramentum accedant. videri possunt Caiet. Nau. Vasquez Sa citati dubio superiore, & alij. idque declarat Ecclesiae consuetudo, & notant aliqui, vt Caiet. Nauarr. & alij, pueros non peccare si differant communionem, donec moneantur ab ijs, qui illorum curam gerunt. In genere loquendo pueri videntur plerumque capaces huius Sacramenti anno 12. vel 14.

Notandum 2. in praecepto determinari saltem secundario tempus Paschatis, ante quod tempus non obligatur etiam is, qui prauidet se eo tempore impedendum, immò si quis existimans superuenturum impedimentum ante illud tempus communicaret, & forte postmodum posset communicare eo tempore, ad id obligaretur, quia in honorem & reuerentiam Dominicae resurrectionis Ecclesia voluit Eucharistiam sumi in Paschate iusto cessante impedimento. videri potest Toletus lib. 6. cap. 18. num. 2.

Aliter dicendum, quando impedimentum prauius tale esset, propter quod non solum tempore paschali omittenda esset communio, sed omnino esset relinquenda eo anno: nam tunc necessario esset prauiendum, quamuis enim canon assignet tempus paschale, non tamen communionem ad illud restringit, sed vult singulis annis frequentari. unde si quis prudenter existimaret se aliàs omnino impedendum illo anno à communionem, deberet tempus Paschatis prauiere. consentit Vasquez como 4. quaest. 90. art. 3. dub. 2. num. 13. & 14.

Notandum 3. tempus Paschatis ex consuetudine complecti quindecim dies, nempe à Domi-

nica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiue, ita vt possit satisfieri praecepto, communicando quolibet ex istis diebus, etiam in die Parasceues; quo die quamuis non soleant sacerdotes consecrare, nihil tamè obstat quo minus communicatio sumi possit. ita declarauit de quindecim diebus Eugenius 4. teste Nauarro cap. 21. num. 45. immò quibusdam in locis ex eadem consuetudine tempus aptum communioni annuae comprehendit totam quadragesimam, & insuper quindecim dies post pascha. Porro ita necesse est hoc tempore communicare, vt etiam is, qui pridie Palmarum, quacumque ex causa communicauit, teneatur rursus intra illos dies communicare; quod etiam existimo dicendum de eo, qui communicasset per modum viatici, quia qui propter instans mortis periculum sumpsit viaticum ante illos dies, non eximitur ab obligatione communionis in Paschate, & praecedentes dies etiam proximi non sunt tempus aptum executioni praecepti communionis paschalis, cum in illis nondum virgeat praeceptum. unde per summionem Eucharistiae proximis diebus Dominica palmarum non satisfit praecepto de Eucharistia sumenda in Paschate, ergo cum obligetur communicare in Paschate, tenetur rursus intra illos dies Eucharistiam sumere.

Aduerte ex proprii sacerdotis consilio communionem ob rationabilem causam posse vltra illud tempus differri. patet ex cap. citato, ex quo patet non dari facultatem prauiendi etiam ex consilio proprii sacerdotis, sed solum differendi, & sacerdotem non posse pro suo arbitrio consulere dilationem, sed si adit rationabilis causa. itaque si sacerdos pro merà voluntate cōsuleret, vt is qui nulum habet impedimentum, communionem differret vltra illos quindecim dies, peccaret; sufficit tamen causa, quae bonà fide existimatur sufficiens, vt si poenitens amplius sit disponendus ad perfectam peccatorum detestationem, si confessio generalis indicetur ex necessitate instituenda, si restitutio facienda, quam sacerdos iudicat prauiendam absolutioni & communioni &c. Per proprium autem sacerdotem, ex cuius consilio rationabili de causa communicatio differri potest, non solum intelligitur proprius pastor, sed omnis confessorius qui eo tempore potest confessionem excipere.

Notandum 4. vnumquemque eo tempore teneri communicare in parocchia: quamuis enim varij religiosi habeant priuilegium communionem aduentantibus ministrandi, per illam tamen non satisfit praecepto communionis paschalis, sed ea fieri debet in parocchia, nisi pastor licentiam tribuat alibi communicandi. ita vt si quis seclusa venià intra illud tempus in parocchia non communicet, mortaliter peccet, vt Doctores. videri potest Nauarrus cap. 21. num. 52. Suarez disp. 70. sect. 2. in fine primi dubij; nam quamuis Ecclesia primario praecipiat communionem & vsum Sacramenti, secundario tamen etiam praecipit, vt recipiatur à proprio pastore, vt Doctores. cum autem ea circumstantia sit grauis, ommissio illius est mortalis. Confirm. Pontifices concedentes quibusdam religiosis, vt quouis anni tempore possint Eucharistiam distribuere aduentantibus, Rectorum Parochialium licentiā minimè requisitā, excipiunt festum Paschatis resurrectionis Dominicae, per quod indicant ex sensu Ecclesiae vnumquemque debere intra tempus paschale communicare in sua parocchia, vt praecepto satisfaciatur. vbi

Aduerte 1. quod licet in eā exceptione per fe-

Quibusdā locis tempus aptum communioni annuae comprehendit totā quadragesimā & insuper 15. dies post pascha.

59.

Per proprium sacerdotem quis intelligatur in proposito.

Non satisfit per communionem apud Religiosos faciam.

Omissio illius est mortalis.

60.
Quid per
festum Pas-
chae Resur-
rectionis
Dominicae
intelligi de-
beat in pri-
uilegijs re-
ligiosorum.

Suar.
Vasq.

Priuegiū
Societatis
Iesu à Pau-
lo 3. cōces-
sum.

Famuli
monaste-
riorum re-
nunt etiam
in parocchia
communi-
care.

Priuegiū
societatis
Iesu.

61.

Petio pri-
ma.
Negativa
suad. ruf.

festum Paschae resurrectionis Dominicae videri pos-
set intelligi totum spatium quindecim dierum, ta-
men per priuilegium concessum à Nicolao 5. &
Sixto 4. Minoribus de Observantia, ij possunt præ-
bere Eucharistiam etiā eo tempore, præterquam in
ipso die resurrectionis, in quo non possunt sine li-
centiā Parochi vel Diocesani. quod variorum sen-
tentiā intelligitur de communione, quā satisfiat
præcepto, alioquin etiam ipso resurrectionis die
posse recipi communionem apud priuilegiatos, re-
manente obligatione communicandi in parocchia,
quā sententia est verior, & magis conformis inten-
tioni Pontificum, alioquin si nuda verba eorum
spectentur, concedendum esset alicuique satisfacere
præcepto Ecclesiastico communionis communi-
cando apud priuilegiatos, dummodo apud eos non
communicet ipso resurrectionis die, quia verba ita
hunc diem excipiunt, ut non præcipiant eo die na-
turali communionem in parocchia; ergo verius est
Pontifices excipiendi festum Paschatis vel diem
resurrectionis, non tam excipere ipsum diem natu-
ralem, quā Paschalem communionem prout per
illam præcepto ecclesiastico communionis satisfiat.
videtur potest Suarez disp. 72. sect. 2. Vasquez disp.
219. cap. 4. & tomo 4. quaest. 93. art. 2. dub. 6. num.
19. nec amplius vrget quod habet Nauarr. cap. 21.
num. 52. & iuxta hæc videtur explicanda quædam
decisio congregationis Cardinalium circa can. 9.
sess. 13. §. dubitatur rursus, ne alioquin ex ea sequa-
tur absurdum, quod intulimus.

Quod si pastor neget Eucharistiam subdito in
Paschate vel mortis articulo, religiosi Societatis
Iesu possunt illam administrare, ut patet ex bulla
Pauli 3. anno 1549. quæ incipit: *Paulus Episcopus*, in
quā eis datur potestas ministrandi Eucharistiam
aduentantibus quocumque anni tempore præter-
quam in festo Paschatis resurrectionis Dominice,
& mortis articulo. additur autem, nisi necessitas vr-
geret; itaque si pastor vel in Paschate vel in mor-
tis articulo subdito denegaret Eucharistiam, pos-
sent virtute illius priuilegij ei præbere, quia iuxta
necessitas adest vel adimplendi præcepti, vel viatici
recipiendi.

Aduerte 2. etiam famulos in monasterijs ser-
uientes teneri tempore Paschatis in sua parocchia
communicare, nisi hac in re Ordo priuilegium ha-
beat, prout habent plerique, saltem per commu-
nicationem. Famuli Societatis in eius domibus ha-
bitantes satisfaciunt præcepto apud eosdem Pa-
tres communicando, similiter possunt ab iisdem
viaticum, & extremam unctionem recipere, ut pa-
tet ex prædicta Bulla Pauli 3.

Aduerte 3. eos qui in diuersis locis habent do-
micilium, vel in vno domicilium, & habitationem
in altero, posse communicare in vtrius loco ad
hoc ut præcepto satisficiant.

Aduerte 4. sacerdotes ex consuetudine satisfa-
cere præcepto communionis, vbicumque cele-
brent: similiter satisfacere peregrinos, vagabun-
dos, aduenas, si communicent his in locis, in qui-
bus pro tempore inveniuntur; ita ut etiam satisfa-
ciant, quamuis non communicent in parocchia hos-
pitij, sed in alio templo, potissimum peregrini &
aduenæ, nam vagabundi commodè dici possunt
habere parocchiam eo in loco, vbi reipsa degunt,
cū nullibi possit commodius assignari.

Petes 1. vtrum satisfiat huic præcepto per com-
munionem sacrilegam? videtur non satisfieri quia
cap. omnis vtriusque sexus dicitur: *suscipiens reuerenter*
ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum, non po-

test autem dici reuerenter suscipere, qui suscipit sa-
crilegè. ita tenet aliqui, qui debent dicere sic co-
municantem committere duplex peccatum, vnum
commissionis communicando sacrilegè, alterum
omissionis negligendo præceptum ecclesiasticum.

Sed omnino verius est satisfieri, ut varij Docto-
res, quia ponitur substantia rei præceptæ, scilicet
ipsa communio, quæ potest poni absque eo quod
aliquis dignè communicet; atqui, ut satisfiat præ-
cepto, sufficit poni substantiam rei præceptæ, nec
est necesse poni sub modo extrinseco, similiter non
est necesse obtineri finem intentum per legem &
præceptum. vnde sequitur sacrilegè communican-
tem in Paschate vnum peccatum committere, idque
commissionis, neque teneri communionem repe-
tere, ut satisficiat præcepto ecclesiastico.

Neque vrget quod ex cap. omnis citato in con-
trarium adferebatur, quia particula, *reuerenter*, non
continet conditionem, sub quā præcipiatur com-
muniō, & quæ ipsa cadat sub præceptum, sed addi-
tur ad denotandum hoc Sacramentum consenta-
neè suæ dignitati debere cum reuerentia recipi, at-
que ita solum est explicatiua eius, quod quilibet
accedens ad hoc Sacramentum præstare debet con-
uenienter dignitati Sacramenti.

Ex his deduco etiam diuino præcepto satisfieri
per communionem sacrilegam, quia per talem
communione poni potest substantia rei præceptæ.

Petes 2. vtrum is, qui in Paschate non commu-
nicauit, teneatur postmodum communicare? Tri-
plex est hac de re sententia.

Prima absolute negat Silu. verbo *Eucharistia*
3. quaest. 15. Victor num. 148. Sotus dist. 18. quaest. 1.
art. 4. §. *gravior tamen*, Toletus lib. 6. cap. 18. num.
4. Sa verbo *Eucharistia* num. 7. Henriquez de Eu-
charistia cap. 5. §. 1. & alij.

Secunda censet eum qui omittit ex culpâ, non
teneri postmodum communicare, eum verò qui
omittit propter impedimentum, teneri. ita Fumus
verbo *communio* num. 6.

Tertia absolute asserit omittentem quocum-
que casu teneri postmodum communicare. Nau.
cap. 21. num. 45. Suarez disp. 70. sect. 2. in 2. dubio
§. *dico ergo paschale*, Vasquez tomo 4. quaest. 90. art.
3. dub. 2. num. 6. & 7. quæ sententia videtur om-
nino verior. pro qua

Notandum præceptum sumendi Eucharistiam
non esse ex his, quæ temporarij assignantur, quorum
vis transactio tempore expirat, sed in eo duplex
præceptum virtute includi; vnum & quidem pri-
marium est frequentatio huius Sacramenti singu-
lis annis, alterum est, ut Eucharistia sumatur tem-
pore Paschatis: ex quo patet communionem non
ita restringi ad tempus Paschale, ut eo transactio
expiret vis præcepti, & proinde non teneatur obli-
gatio communicandi. nam quamuis per sequen-
tem communionem non possit aliquis implere
præceptum quoad eam partem, quâ respicit tem-
pus Paschale, tamen quoad primarium potest ad-
implere, & tenetur. quod

Probatur 1. ex formâ præcepti, nam dicitur: *sus-
cipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacra-
mentum*. ex quâ loquendi formâ videtur patere,
quod præceptum communionis annuæ non ita ad-
stringatur temporarij Paschali, ut cum illo expiret,
cū illud, *semel in anno*, referatur etiam ad com-
munionem, quod patet ex Trid. sess. 13. can. 9. vbi
dicitur: *si quis negauerit omnes, & singulos Christi fide-
les vtriusque sexus cū ad annos discretionis peruenierint*
teneri

teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae, anathematizatus, ex quo can. patet de sensu cap. omnis utriusque.

Probatur ex poena appositâ cap. omnis, citato, ubi dicitur: *Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiae atque, & moriens Christianâ careat sepultura.* quae poena designat negligentem postmodum sumere Eucharistiam tamdiu mortaliter peccare, donec communicet, & debere communicare, ut liberetur à peccato. Probatur, si posset recedere à peccato per confessionem sine communione, non deberet ita generaliter puniri, sed poena solum deberet imponi illi, qui de tali peccato non egisset poenitentiam.

Probatur 3, qui ex causâ rationabili ex consilio confessorij distulit, non liberatur ab onere communicandi, ergo neque alij, consequentia. Probatur, quod prior non liberetur satis indicat legislatores hoc praeceptum non ita temporari adstrinxisse, ut cum tempore exiret, quod si non exiret, non est quod dicatur eum, qui neglexit suâ culpâ, non teneri postmodum supplere. denique constat in varijs Episcopatibus ferri excommunicationem in eos, qui post Pascha per aliquot dies perseverant sine communione, ergo signum est huiusmodi omissionem esse mortalem. consequentia probatur, si negligens communionem Paschalem non perseveraret in peccato, non posset excommunicari.

Dices Episcopos hæc statuta condentes sequi nostram sententiam.

Resp. si solum ex probabili sententiâ essent posita, posset aliquis se conformans alijs sententijs non habere se pro excommunicato, quod tamen dici nequit. nam unusquisque censet hæc statuta ligare, unde à posteriori ex illis colligitur legem in praxi ita intelligi, ut qui non communicat in Paschate, teneatur postmodum communicare, & tamdiu in peccato perseveret quamdiu non communicat.

Dices id tantum habere locum, ubi hæc statuta sunt condita.

Resp. neg. quia per huiusmodi statuta non imponitur nova obligatio sub peccato, sed solum apponitur poena transgressioni, & supponitur obligatio aliunde orta.

Adverte eum, qui omisit communicare in Paschate, debere postmodum communicare in parochia, nec satisfacere si alibi communicet, quia communicatio annua, & quæ est præcepti, debet sumi in parochia. debet autem sumi primâ datâ opportunitate, rem moraliter considerando, & quantum patiuntur negotia &c.

Petes utrum idem sit dicendum de eo qui ante tempus Paschale communicavit in parochia, & in Paschate non communicavit, vel propter impedimentum, vel ex culpâ?

Resp. non videri, quia talis reipsâ adimplevit præceptum quoad ipsam communionem, quoad tempus vero non potest amplius adimplere, cum transacto tempore non possit amplius satisfieri præcepto quoad illam circumstantiam.

Sed quid si alibi communicavit absque licentia pastoris? Vasquez disp. 219 cap. 4. sub finem censet debere postmodum communicare in parochia, quia neglecta est circumstantia, quæ postmodum poni potest, quod videtur speculativè dicendum.

Adverte primam sententiam dicentem, eum qui non communicavit in Paschate, non teneri elapso tempore communicare, non esse omnino improbabilem (si absit scandalum & statuta particularia) propter multitudinē Doctorum in id conspirantium.

ARTICVLVS XII.

Vtrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine?

DVAS statuit hac de re conclusiones.

Prior, sacerdos consecrans nullo modo potest sumere Christi corpus sine sanguine.

Posterior, in quibusdam Ecclesijs præbatur laicis Christi corpus sine sanguine, quam consuetudinem non censet improbandam.

De priore conclusione dicendum in materiâ de sacrificio, de posteriore gravis est cum hæreticis controversia.

DVBIUM I.

Vtrum iure diuino præcepta sit communio sub utraque specie, cum sumitur ab eo qui non sacrificat?

COMMUNIONEM etiam respectu laicorum sub utraque specie non repugnare iuri diuino constans est Catholicorum sententia, cum ex Apostolo 1. ad Cor. 11. videatur colligi Corinthios solitos fuisse communicare sub utraque specie, & cap. 10. dicatur: *Non potestis calicem Domini habere, & calicem Demoniorum, non potestis mensam Domini participes esse, & mensam Demoniorum.* constat etiam usque ad tempora S. Thomæ (ut patet ex corpore art.) in varijs Ecclesijs perseverasse consuetudinem hoc Sacramentum ministrandi sub utraque specie. hoc præmissis tanquam indubitato.

Queritur num sit necessarium iure diuino utramque speciem sumere?

Sub annum 1412. Petrus Eresdensis & Iacobellus Misnensis in Bohemiâ docuerunt iure diuino præceptam esse communionem sub utraque specie, & proinde Romanam Ecclesiam iniuste laicis negare usum calicis, ut videre est apud Aneam Silvium in historiâ Bohemorum cap. 35. Hos secuti sunt hæretici nostri temporis, nam quamvis Lutherus fuerit varius, tandem tamen censuit utriusque speciei sumptionem etiam laicis esse necessariam, ut refert Bell. lib. 4. de Eucharistia cap. 10. idem censet Calvinus & alij eodem Bell. teste, contra quam hæresim innumeri doctissimi viri scripserunt.

Dico non esse præcepto diuino prohibitum communicare sub vnâ specie. est de fide, definitur in Concil. Constantiensî sess. 13. ubi dicitur: *Hoc generale Concilium declarat, decernit, & definit &c. quod licet in primitivâ Ecclesiâ huiusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, tamen hæc consuetudo ad evitanda aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta quod à conscientibus sub utraque specie, & laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur.* &c. quapropter dicere quod hanc consuetudinem & legem observare sit sacrilegium, aut illicitum, censeri debet erroneum, & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum tanquam hæretici arceudi sunt, & graviter puniendi per diocesanos locorum. vide Bullam Martinij, in vltimâ sess. eiusdem Concil. definitur etiam à Trident. sess. 21. can. 1. in hæc verba: *Si quis dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistia Sacra-*

Resp.

64.

1. Cor. 11.

Quidam docuerunt iure diuino præceptam communionem sub utraque specie. Idem sentit Luther.

Et Calvin.

65.

Conclusio Cathol. Non est prohibita iure diuino communicatio sub vnâ specie. Concil. Constant.

Trident.

menti

mentis sumere debere, anathema sit. idem docetur cap. 1. eiusdem festi.

Prob. 1. ex
PP.
Tertull.

Probatur 1. ex Patribus, ex quibus patet olim vnicam speciem interdum sumi solitam, patet ex Tert. libr. 2. ad uxorem cap. 5. *non facit maritus, quid secretum ante omnem cibum gustes, & si scierit, panem non illum credit esse, qui dicitur.* ex quo loco colligitur christianos etiam laicos olim detulisse domum Eucharistiam, ibique communicasse, & quidem sub sola panis specie idem patet ex Amb. oratione funebri in obitum fratris sui Satyri, ubi refert illum semel mare ingressum portasse in capsula sacram Eucharistiam, ut posset communicare.

Ambros.

Hieron.

Euseb.

Olim sacerdotes
dabant laicis
corpus Domini ad
infirmos deferendum.

Cypr.

Coroll.

Prob. 2.
conclusio.

videri etiam potest Hieron. in apologia ad Pammachium pro libris suis contra Iovinianum post medium, ubi dicit: *scio Romanam hanc esse consuetudinem ut fideles semper Christi corpus accipiant.* agit de sumptione sub specie panis, quam interdum domi sumebant, ut patet ex eius discursu. Eusebius lib. 6. historiae cap. 36. refert presbyterum dedisse puero particulam Eucharistiae deferendam Serapioni aegroto; & olim sacerdotes passim dabant laicis corpus Domini ad infirmos deferendum, quod licet tanquam minus decens reprehendatur in Concilio Rhemenfi, ut refertur can. peruenit, de consecratione, dist. 2. non tamen reprehenditur communio sub specie panis.

Ex Cypriano autem sermone de lapsis post medium, habemus communionem interdum administratam sub sola specie vini: nam de puella infante, cui traditus fuerat panis mero mixtus residuus ex immolatione idolis facta, scribit: *Ubi vero solemnius adimpletis calicem diaconus offerre praesentibus cepit, & accipientibus ceteris locus eius aduenit, faciem suam paruula instinctu diuina maiestatis auertere, os labijs obturantibus premere, calicem recusare, perserat tamen diaconus & reluctanti licet, de Sacramento calicis insudit.* ex quo loco patet eo tempore interdum praebere solitum sanguinem sub specie vini sine specie panis, quia si hostia data fuisset non minus eam horruisset, quam sanguinem, nec potius id tacuisset Cypr. quam aud.

Ex his obiter patet non tantum iure diuino non esse praecipiam utramque speciem, sed nec alteram determinate, verum si ius diuinum spectemus, posse sub vtraque specie Eucharistiam sumi, quamuis aliqui videantur contrarium docere existimantes iure diuino Eucharistiam necessario sumendam sub specie panis, siue sumatur etiam sub specie vini, siue non.

Probatur 2. conclusio ex eo quod non sit verisimile Christum ita praecipisse usum huius Sacramenti, ut esset difficilissimus in varijs locis: constat enim vinum ad quaedam loca non posse importari sine magno sumptu, item quibusdam in locis non ita commodè asseruari, quibus proinde est difficillimum habere eam copiam vini, & diu seruari, quae esset necessaria si communio sub specie vini esset praecipua, cum maxima copia pro integro aliquo regno requireretur.

Dices Christum permississe se habuisse ad illa incommoda, sed id non potest prudenter dici, quod scilicet Christus Dominus sciens vinum multis in locis non ita haberi vel posse asseruari, voluerit nihilominus vniuersaliter praecipere ut hoc Sacramentum sub specie vini sumeretur. Praeterea multi sunt abstemij, qui vinum vix possunt gustare, praesertim in regionibus calidis, edocti à parentibus à vino temperare, quos non est dicendum diuino praecipio teneri communicare sub specie vini.

Probatur 3. ex eo quod Christus Dominus Lucae 24. videatur hoc Sacramentum praebuisse sub sola panis specie discipulis euntibus in Emmaus, quia variorum sententia dedit illis corpus suum manducandum. Melancthon, ut refert Bell. lib. 4. citato cap. 24. §. sed occurrit, fatetur quidem Christum eo loco communionem discipulis praebuisse; negat tamen inde colligi usum vnius speciei, cum sub vna specie altera com modè possit intelligi per synecdochen: verum ex ipso Evangelij contextu id optimè refellitur: dicitur enim: *Et factum est cum recumbere cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euauit ex oculis eorum.* ex quibus verbis patet Christum statim post fractionem panis cognitum à discipulis, & statim disparuisse, unde nullo modo est verisimile eisdem communicasse sub specie vini.

Instat Kemnitius ex Aug. tract. 2. in epistolam Ioannis ubi dicit: *Et verè qui non sibi iudicium manducat & bibit in fractione panis Christum agnoscit.*

Resp. id ad praesens institutum nihil facere, quia Aug. non vult Christum praebuisse discipulis Eucharistiam sub specie vini, sed alludens ad eum locum, & simul ad verba Apostoli 1. ad Cor. 11. docet omnem, qui dignè accedit ad hoc Sacramentum Christum agnoscere.

Contra hanc veritatem obijciunt haeretici, varia loca scripturae quibus communio sub vtraque specie videtur praecipua 1. Matth. 26. dicitur: *bibite ex eo omnes.*

Resp. praedicta verba dirigi ad Apostolos praesentes, de quibus dicitur, Marci 14. *Et biberunt ex illo omnes.* constat enim non omnes posteros bibere, neque de ijs dici posse: *biberunt ex eo omnes.* ita verò loquitur de sanguine, ut primi intelligerent etiam subsequentes Apostolos debere bibere ex eodem calice, seu, ut primi aliquid sequentibus relinquerent.

Obijciunt 2. Lucae 22. *Hoc facite in meam commemorationem,* quod licet sit dictum ante calicis distributionem ad eam tamen referri debere patet ex 1. Cor. 11. ad Cor. 11. hinc argumentantur, iubet ut Apostoli, & eorum successores faciant, quod ipse fecit, atqui consecrauit, sumpsit, distribuit vtraque speciem, ergo vtraque species necessarii laicis est distribuenda. Confir. ex eo loco supra ostendimus praecipuum communionis etiam respectu eorum qui non celebrant. Aliqui respondent non posse solide probari quod particula, *hoc facite*, debeat repeti post calicem, & proinde ex eo loco non aptè probari necessitatem communionis sub vtraque specie.

Resp. tamen 2. concedendo eam repetendam, nihil tamen inde colligi, quia dici potest illis verbis dari praecipuum Ecclesiae, ut in ea sumatur Christi corpus, & sanguis sub vtraque specie, non verò dari singulis personis, ut sumant sub vtraque specie. Dici etiam potest quod praecipiat sacerdotibus sacrificantibus, ut sumant vtramque speciem: nam quia Christus Apostolus tunc sacerdotes constituit, ut tradit Trid. sess. 22. cap. 1. ideo illis dedit sub vtraque specie, illis eorumque in sacerdotio successoribus praecipiens, ut offerrent, & sumerent hostiam oblatam, in sacrificio verò non offertur panis sine vino.

Dices: *hoc facite*, non solum refertur ad oblationem & sumptionem sacerdotis, sed etiam ad alios qui recipiunt à sacerdotibus. Resp. quatenus illos respicit, intelligitur ut sumant iuxta ritum in Ecclesia praescriptum, vel vtitur.

Ad locum Apostoli aliqui dicunt ex diversâ loquendi formâ apparere non esse præceptum respectu laicorum, ut sumant calicem, cum ita dicat: *ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit, accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, hoc facite in meam commemorationem. similiter & calicem postquam conavit dicens, hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* ubi priori parte absolute dicit, *hoc facite*, posteriori verò non nisi sub conditione, si sumatur calix, seu, quotiescumque bibetis, verum id minus probatur; inde enim sequeretur esse divinum præceptum sumendi Eucharistiam determinatè sub specie panis, quod est minus consentaneum Cypr. serm. de lapsis. citato. Dico ergo, quamvis particula, *quotiescumque*, non faciat sensum conditionatum, non haberi sumptionem utriusque speciei necessariam esse, neque id velle Apostolum, sed cum referret institutionem huius Sacramenti, voluisse accuratè referre, quid Christus in cenâ pro Ecclesiâ instituerit, & fieri præceperit, quod scilicet præceperit vsum Eucharistiae, qui tamen iuxta conditionem personarum varius esse potest, sacerdoti quidem sacrificanti necessariò sub utraque specie, alijs verò indifferenter, quantum est ex iure divino.

Dices Apostolus loquebatur promiscuè multitudini, agebatque de re præceptâ, cum ergo ageret de sumptione calicis, indicat eam laicis iure divino esse præceptam. Resp. neg. consequentiam propter rationem allatam. quod non iudicaverit communionem sub utraque specie necessariam, non obscure indicant alia eiusdem verba, utaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. cum enim dicat: *manducaverit panem, vel biberit calicem*, indicat alterutrum sufficere.

Dices, id non sequi, quia non obstante præcepto sumendi utramque speciem id optimè dici posset, cum fieri possit ut qui dignè sumpsit corpus Christi sub specie panis, indigne sumat calicem, vel quia inter utramque sumptionem peccat mortaliter, vel quia inter utramque recordatur alicuius peccati, cuius cum non penitet. Resp. id posse accidere, sed ita esse rarum, ut non videatur Apostolus idcirco ita locutus. nam videtur egisse de eo, quod sapientiùs potest accidere, præsertim cum scriberet fidelibus recentè conuersis, qui non ita potuissent illud advertere, ergo ex eâ loquendi formâ probabiliter colligitur Apostolum censere non requiri iure divino sumptionem utriusque speciei.

Dices, subdit: *probat autem scriptum homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Resp. his verbis non contineri præceptum comedendi, & bibendi, sed nos ipsos probandi antiquam ad Sacramentum accedamus, siue comedendo, siue bibendo, siue sumendo sub utraque specie, quod tunc licebat cum nondum esset vlla Ecclesiæ prohibitio.

Obijciunt, quod Christus hoc Sacramentum instituerit sub duplici specie.

Resp. ita esse, non tamen sumi voluit ab omnibus sub utraque specie, sed ab ijs qui erant sacrificarii; quia enim instituit hoc Sacramentum in sacrificium, instituit sub duplici specie, voluitque utramque sumi ab offerente, reliquis liberum reliquit sumere sub vna specie, vel pluribus.

Dices, in vna specie imperfectum est Sacramentum. Resp. non esse imperfectum quoad rem contentam, scilicet corpus, & sanguinem Christi, sed tantum quoad Sacramentum exterius, & quoad expressam significationem: non potest autem ostendi, quod Christus voluerit unumquemque sumere perfectum Sacramentum quoad externas species, & quoad modum significandi. dico etiam per sumptionem vnius speciei recolli memoriam passionis eius, nam licet quoad exteriùs signa non sit tam expressa commemoratio, inuenitur tamen sufficiens eo ipso quo sumitur Sacramentum relictum in memoriam passionis.

Obijciunt 4. sanguis Christi relictus est Christianis tanquam testamentum, quod omnes debent participare.

Resp. neg. debere participare in Sacramento sub specie vini, sufficit, ut illius fructum percipiant in sacrificio, vel rem ipsam percipiant, sumendo hoc Sacramentum sub alterâ specie.

Obijciunt 5. Ioan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Resp. inde non confici utriusque speciei sumptionem esse necessariam, nam, ut præclare Trid. sess. 21. cap. 1. *Qui dixit: nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque: si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, & qui dixit: qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam: panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita &c.* unde ex hoc ipso loco sumitur positivum argumentum ad probandum sumptionem utriusque speciei non esse laicis necessariam ex divino præcepto.

Resp. ergo in sententiâ citatâ in argumento Christum voluisse debere alterutrum sumi, ut quis vitam æternam habere possit, ita ut particula, &, non sumatur copulativè, faciens terminum copulativum, sed sumatur disjunctivè pro, vel, hoc sensu: nisi manducaveritis carnem filij hominis vel biberitis eius sanguinem &c. id est, si neutrum feceritis, non habebitis vitam in vobis. constat enim particulam, &, apud Hebræos interdum sumi pro, vel, ut in eâ sententiâ, Exodi 21. *Qui percussit patrem suum aut matrem, morte morietur*, hebraicè est coniunctio copulativa, quam certum est sumi pro, vel, neque enim requirebatur, ut quis utrumque parentem percuteret, ut morte afficeretur. idem sensus esse debet illius sententiæ, quæ eodem cap. ponitur: *Filium quoque & filiam si cornu percussit, simili sententiâ subiacet*. ubi particula, &, sumitur pro, vel, hoc sensu, si alterutrum percussit. Quod si quis contendat particulam, &, non debere ita explicari nisi locus omnino cogat, quod hic non certitur.

Resp. retentâ significatione, & solutionem eodem ratiò posse: nam pro eo quod Latine habemus, *nisi*, Græcè habetur *eiw me*, id est, si non, hoc sensu, si non manducaveritis &c. & non biberitis repetendo negationem, quæ more Hebræo in parte posteriori est repetenda, id est, si neutrum feceritis, non habebitis vitam in vobis.

Alia solutio eaque etiam commoda est, quod licet eo loco imponeretur præceptum sumendi Eucharistiam sub utraque specie, id non daretur singulis membris Ecclesiæ, sed ipsimet Ecclesiæ, hoc sensu, quod Christus per illam sententiâ velit in Ecclesiâ esse vsum Eucharistiae sub specie panis & vini, quamvis non singuli ad id adstringantur.

Obiectio 4.

Resp.

Obiectio 5.

Resp.

Alia solutio.

res intelligi possunt, re secundum se considerata, antequam ab Ecclesia prohiberetur laicis communicatio sub specie vini.

Dices, ait: *Nisi manducaueritis &c. non habebitis vitam in vobis*, quod iuxta illam explicationem falsum esset, cum laici alteram speciem sumentes possent vitam habere.

Resp. neg. assumptum, quia dictum Christi est intelligendum, suppositis ijs quæ secundum eius institutionem fieri debent; in Ecclesia autem iuxta institutionem Christi non posset esse hoc Sacramentum, nisi consecraretur sub duplici specie, & sub duplici specie sumatur à celebrante. unde si nullus Sacramentum illud sub duplici specie sumeret, sequitur, quod neque laici possent sumere, cum non esset consecratum. Est & alia ad argumentum solutio, quod videlicet eo loco præcipiatur sumptio Sacramenti, non verò modus sumendi, cui tamen solutioni obstat proprietas verborum manducandi & bibendi, priores ergo solutiones videntur solidiores.

Obijciunt præterea varios Patres, sed si quis diligenter consideret, non fauent hæreticis, quia plerique docent quidem usum utriusque speciei, vel sanguinis esse licitum, non tamen ostendunt omnibus esse præceptum. id vult Cyprianus epist. 2. lib. 2. ubi docet sanguinem Domini dandum esse fidelibus, ut roborentur ad martyrium, addens: *Quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus?* nam supponens usum illius temporis, quo etiam laici præbebatur communicatio sub specie vini, docet poculum sanguinis Domini dandum ijs qui ad martyrium præparantur, ut ad illud roborentur.

Dices, author sermonis de carnâ Domini apud eundem Cyprianum ait, *Lex esum sanguinis prohibet Evangelium præcipit, ut bibatur*.

Resp. non dicere præcipi singulis, ut bibant, sed solum præcipi, ut bibatur sanguis, quod fieri debet à sacerdote sacrificante, non tamen necessariò à laicis etiam tempore Cypriani.

Idem cum Cypriano vult Ambr. qui, ut refert Theodoretus lib. 5. histor. cap. 18, ita Theodosium est allocutus: *Quibus oculis intueberis communis Domini ædem &c. hæc adhuc stillantes iniusta & adis cruore manus, extendes, & ijs sanctissimi Domini corpus prehendes, vel pretiosum illum sanguinem admovebis oritur? inde enim solum concluditur usum sanguinis olim fuisse licitum laicis, cum nondum ab Ecclesia esset interdictus, quod volunt plures alij agentes de usu sanguinis, cum esset licitus, sicut fuit per multa sæcula, non verò intendentes docere iure diuino laicis præceptum.*

Aliqui, si eorum scopus diligenter consideretur, non tam agunt de sumptione sanguinis sub specie vini, quæ de ipsa re, siue sub hac, siue sub illâ specie.

Alij intendunt explicare utilitatem poculi sanguinis Domini, non tamen volunt esse ad salutem necessarium. quâ ratione intelligendus August. quæst. 57. in Levit. dicens: *Ad bibendum sanguinem omnes exhortantur qui volunt habere vitam æternam.* solum enim vult fuisse utile ad vitam æternam obtinendam sumere sanguinem, quando scilicet nondum erat ab Ecclesia prohibitum, non tamen vult fuisse necessarium vel unicam causam. simili ratione intelligitur Clemens Alexandrinus libro 2. pædagog. cap. 2. dicens: *Bibere Iesu sanguinem est participem esse incorruptionis diuinæ.* meminit autem sanguinis & non corporis, quia eo capite loquebatur de usu vini. eodem modo plu-

res intelligi possunt, re secundum se considerata, antequam ab Ecclesia prohiberetur laicis communicatio sub specie vini.

Aliqui denique loquuntur de sacerdotibus sacrificantibus, ut Gelasius Pontifex, refertur can. 1. r. 1. compertimus, de consecratione, dist. 2. ubi ait: *Comperimus autem, quod quidam sumpti tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio (quoniam nescio quâ superstitione decet obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio vini & eiusdem mysterij sine grandi sacrilegio non potest provenire, nam reprehendit eos, qui in solâ specie panis sacrificabant, de quibus est intelligendus Bernard. ferm. 3. in ramis palmarum, dicens: Alimen-
corporis & sanguinis Domini in primâ carnâ Domini exhibitam & deinceps frequentari mandatum.*

Sed obijciunt Chrysost. homilia 18. in 2. ad Obiectionem Cor. dicens: *Est autem Obiectionem differat sacerdos à subdito, ut quando fruendum est horrendis mysterijs: limitet enim ut illa percipiamus, digni habemur, non sicut in veteri lege partem quidem sacerdos comodebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos, sed nunc non sic, verum omnibus unum corpus præparatur, & poculum unum.*

Resp. Chrysost. non agere de præcepto, sed solum velle assignare discrimen inter legem veterem, & novam, quod in ea sacerdos partem haberet sacrificij, & partem populus, in novâ verò & totum participet sacerdos, & totum populus, singuli scilicet totum corpus & sanguinem, & quod iure diuino nullum inter eos discrimen sit constitutum, cum quo optimè potest consistere, quod humano iure possit constitui, ut laici non sumant utramque speciem.

D V B I V M II.

Virum Ecclesia prudenter interdixit ut usum calicis non celebrantibus?

EX dictis dubitari non potest, quin Ecclesia possit præscribere, ut laici, & ij, qui non celebrant, sumant communionem sub solâ panis specie, prout grauitè docet Trident. sess. 21. cap. 2. his verbis: *Præterea hanc potestatem perpetuam in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, saluâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ satisfactionem utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire indicaret.* patet etiam Ecclesiam administrasse baptismum modò trinâ meritione, modò vnâ, modò infusione. his præmissis circa potestatem quæ in materiâ de legibus solent ex professo probari. Queritur nam Ecclesia prudenter vñ fuerit illâ potestate interdicens laicis, & alijs non celebrantibus communionem sub vini specie: Resp. &

Dico Ecclesiam iustis de causis præcepisse laicis communionem sub specie panis. extare talem legem patet ex Trid. suprâ, & can. 2. eiusdem sess. item ex Constantiens. sess. 13. ubi Notandum non videri Constantiens. hanc legem statuisse sed antea saltem consuetudine introductam, ut ab ipso Concilio indicatur, verisimile autem est inualuisse consuetudinem post tēpora S. Tho. cum, ut patet ex corpore

Solutio
alia rejicitur.

67.
Obijciunt
PP. sed explicantur.

Cyprian.

Ambr.

August.

Clem. Alexand.

corpore articuli, varijs in locis eius tempore fuerit
vltus vtriusque speciei: verisimile autem est paula-
tim inualuisse consuetudinem propter haesim
aliquorum existimantium non tantum esse sub vnâ
specie, quârum sub duabus, quod indicatur à Con-
stantiensis dicente: *cum summi omne credendum sit, et
nullus dubitâdum integrum Christi corpus, et sangui-
nem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter
contineri.* unde ad illam haesim refellendam comu-
nio sub vnâ specie in Ecclesiâ est commendata, &
vsurpata, & ad quedam incommoda euitanda, nam
vt S. Thomas in corpore, in magnâ hominum mul-
titudine, in quâ sunt senes, iuvenes, debiles, minùs
discreti, facillè contingere potest, vt sanguis effun-
datur, praesertim, cum multi minùs docti & discreti
eum parâ deuotione, & externâ reuerentiâ acce-
dant. adde aegrotos plerumque non posse sumere
speciem sanguinis sine eiusmodi effusionis pericu-
lo, vinum consecratum non ita diu potest conser-
uari, quin species corrumpantur, nec potest com-
modè sine magnâ irreuerentiâ seruari. denique Ec-
clesiâ iustè præcepit communionem sub vnâ specie
ad refellendam haesim, quæ censet communionem
sub vtrâque specie iure diuino esse præceptam.

Ex quibus patet nō tantum iustis de causis præ-
ceptam communionem sub vnâ specie, sed propter
vltimam rationem non potuisse prudenter supe-
riori tempore permitti communiter communionem
sub vtrâque specie, cum ij, qui petebant vsum ca-
licis, id facerent ex errore, quo censebant eum iure di-
uino esse præceptam, quorum haereticis fuisset tacitè
approbata, si talis vsum communiter fuisset con-
cessus: nihil tamen obstat, quo minùs, seposito tali
errore, iustâ de causâ posset concedi.

Dixi, communiter, quia etiam nunc Cardinalis
Diaconus ministrans summo Pontifici communi-
cat sub vtrâque specie; similiter Rex Franciæ in
sua inauguratione.

Ex his patet nullum posse priuatâ authoritate
absque gravi peccato communicare sub vtrâque
specie, vel sub specie vini, neque Episcopum posse
hac in parte dispensare.

Dices si propter allatâ incommoda sanguis pru-
denter negari potuit non consecrantibus, cur id ab
initio factum non est?

Resp. in initio, cum essent pauciores fideles, &
magis deuoti, hæc incommoda, & pericula nō fuisse
notata, propter quæ tamen paulatim aliqua Eccle-
siae reliquerunt vsum calicis. Adde etiam ex dubio
superiori etiam primis temporibus non fuisse vsum
calicis, quâdo communi in priuatâ edibus sumebat-
ur, tum quia nō poterat deferri sine periculo effu-
sionis, tū quia nō poterat sine incommodo asseruari.

Dices 2. quāuis communicatio sub vtrâque spe-
cie non sit diuino iure præcepta, non potest tamen
Ecclesiâ iustè præceptum prohibere, cum ex
institutione huius Sacramenti ius habeant ad illum
sumendum quemadmodum non potest vniuersali-
ter priuare fideles Sacramento Confirmationis,
quāuis illud non sit in præcepto.

Resp. neg. assumptum, ad cuius probationem dico
fideles habere ius sumendi Eucharistiam, quâ pro-
inde sine rationabili causâ priuari non possint; vt
verò hoc, vel illo modo sumant, sub hac vel illâ spe-
cie, sub vnâ, vel vtrâque, non habere ius indepen-
denter ab Ecclesiâ, quæ pro exigentiâ temporū po-
test constituere, id quod iudicat conuenientius vti-
litati fidelium, vel Sacramentorum venerationi.

Ad id quod de Confirmatione adfertur

Resp. neg. esse simile, quia si Ecclesiâ fideles pri-

uariet Sacramento Confirmationis, eos priuaret vno
Sacramento pro communitate instituto, & ad
quod singuli ius habent; prohibendo verò vsum
calicis non priuat vsum Sacramenti, sed solum ne-
gat certum modum illud sumendi, ad quod iustis
de causis motetur.

Dices saltem priuat fideles magnò fructu, qui ex
vtriusque speciei sumptione perciperetur.

Resp. quidquid sit de eo, non obstat; quia, si nō
ua gratia per sumptionem sanguinis accedat, ea nō
est ad salutem necessaria; in ijs autē, quæ non sunt
necessaria ad salutem, Ecclesiâ potest habere, & ha-
bet reipsâ maiorem rationem reuerentiæ Sacra-
mentorum, & vt omne periculum incommodi cir-
ca illa euitetur, quàm alicuius gratiæ non necessa-
riæ. hinc enim fit vt non det hoc Sacramentum
parulis, vel amentibus propter periculum vomitus,
vel ne expuant &c. Et hæc quidem suffiunt ad oc-
currendum calumniæ hæreticorum traducuntium
Ecclesiâ, quod fideles fraudet fructu spirituali.
vide Trid. sess. 21. cap. 3. De reipsâ nonnulla est in-
ter Theologos controversia, itaque

D V B I V M III.

*Vtrum per sumptionem vtriusque speciei
plus gratia obtineatur, quam per
sumptionem vnius?*

Q VÆSTIO intelligitur de acquisitione gra-
tiæ ex opere operato; nam constat ex deu-
otione recipientis interdum plus gratiæ recipi per
sumptionem vtriusque speciei, quàm per sumptio-
nem vnius; quemadmodum è cōtrario potest con-
tingere communicantem sub vnâ specie plus gra-
tiæ recipere, quia longè cum maiori deuotione ac-
cedit, quàm is, qui communicat sub vtrâque spe-
cie: sed hæc extrinsecè se habent ad id, de quo in
præsenti quaeritur: nam quaeritur vtrum cæteris
paribus plus gratiæ conferatur ex opere operato
per vtramque speciem, quàm per vnâ?

Duplex est hac de re sententia.

Prior negat, asserens laicos communicantes sub
vnâ specie, per se loquendo, tantum gratiæ ex ope-
re operato consequi, quantum sacerdotes comu-
nicantes sub duabus. ita quidâ antiquiores, Rich.
dist. 11. art. 4. quæst. 9. & alij, Caiet. hic, quæst. 2. So-
tus dist. 12. q. 1. art. 12. & multi recentiores scriben-
tes contra hæreticos citatur pro eadem S. Th. hic,
ad 3. docens ex sumptione vnius speciei nullum se-
qui detrimentum, sequitur autem, si minor gratia
obtainetur.

Posterior censet plus gratiæ obtineri sumptio-
ne vtriusque speciei. Alensis 4. parte quæst. 32.
memb. 1. art. 2. & plures alij, quos citat & sequitur
Vasquez disp. 215. c. 2.

Dico videri probabilis sumptione vtriusque
speciei plus gratiæ ex opere operato obtineri,
quàm sumptione vnius.

Probat, singule species sunt causæ collatiuæ
gratiæ, ergo plus gratiæ accedit per sumptionem
vtriusque, quàm per sumptionem vnius. antecedens
patet, per corpus Christi cum specie panis con-
stitutur Sacramentum, quod potest esse sine eodem
corpore sub specie sanguinis, idemque dicendū de
sanguine sub specie vini, ergo singula sūt causatiua
gratiæ. consequentia probatur, quia Sacramenta
nouæ legis sūt causæ gratiæ, quàm significant.

Confir. nullus potest negare hoc Sacramentum

T t

conferre

Obiectio 3.

Resp.

Trident.

72.

Sensus du-
bi propo-
nitur.Prior sen-
tentiæ negat.Rich.
Caiet.
Sotus.Posterior
asserit.
Alens.
Vasq.72.
Conclus.
Affirmatiua
præfertur.

conferre gratiā ex opere operato sub specie panis, item obtineri gratiam per cognitionem sub specie vini, neq; etiam negari potest, si quis bene dispositus sumeret. Sacramentum sub solā vini specie inculpabiliter ignorans id non licere, quin verē reciperet gratiam ex opere operato.

Dices singulas quidem species esse collatiuas gratiæ, sed eiusdem, quæ videlicet detur, siue Sacramentum sumatur sub hac, siue sub illā specie, siue sub vnā, siue sub duabus. verū id non videtur solidē dici. vnde Probatur consequentia nostri argumenti, quando Sacramentum sumitur sub duplici specie, inuenitur noua causa gratiæ, ergo nouus gradus gratiæ debet respondere. antecedens pater, inuenitur corpus & sanguis, seu sanguis cum specie vini, ergo noua causa gratiæ, cum nouum sit Sacramentum. consequentia verō probatur, quia noua causa efficax gratiæ nouam gratiam potest producere, nisi inueniat obicem ex parte subiecti.

Obiectio 1. Dices 1. vis productiua gratiæ non est in speciebus, sed in corpore, & sanguine Christi, quod totum est tam sub singulis speciebus, quam sub duabus simul sumptis.

Resp. neg. antecedens, cum enim species concurrant ad constitutionem Sacramenti, concurrunt etiam ad rationem signi & causæ, vnde etiam illa sunt causa productiua gratiæ; v. g. Sacramentum constitutum ex corpore Christi, & specie panis, nō tantum est causatiuum gratiæ ratione corporis Christi, sed etiam ratione specierum, cum Sacramentum sit causatiuum gratiæ per omne id, quod ad eius constitutionem concurrat.

Obiectio 2. Dices 2. gratia per hoc Sacramentum confertur tanquam per conuiuium, in re autem tam est perfectum conuiuium sub vnā specie, quam sub duabus, quia totus Christus cum carne & sanguine continetur sub singulis speciebus.

Resp. non tantum dari ratione rei contentæ sub speciebus, sed etiā ratione specierum, atq; ita accessu nouæ speciei accedere nouam causam propter quā gratia datur in hoc conuiuium, & per consequens nouum gradū gratiæ debere accedere; seu, dico gratiā conferri in hoc conuiuium etiam ratione signorum.

Obiectio 3. Dices 3. idem significatur per vtramq; speciem, cum significetur spiritualis nutritio, & refectio.

Resp. neg. assumptum: quamuis enim sit eadem gratia, quā nutritur anima spiritualiter, tamē prout acquiritur per hoc Sacramentum sub specie panis, acquiritur per modum sustentationis per modum cibi spiritualis; prout verō acquiritur per idem Sacramentum sub specie vini, acquiritur per modum cuiusdam potus spiritualis ad animam spiritualiter inebriandam, atque ita per species vini designatur noua refectio incompleta, per quā dari potest aliquis nouus gradus gratiæ, & videtur re ipsa concedi.

74. Conclusio autē intelligitur, non solum quando adest noua dispositio, sed etiam quando legitima dispositio ad hoc Sacramentum recipiendum manet inuariata, quia vna eademque dispositio inuariata sufficit, vt singule species conferant effectū sibi proportionatū, & proinde plus gratiæ obtineatur per summptionē vtriusque speciei, quam vnius. patet, vna eademq; dispositio sufficit vt Sacramentum poenitentia & extrema vñctio conferant suos distinctos effectus, vt si is qui antequam incideret in amentiam voluit confiteri, absoluiatur in amentia, & recipiat extremam vñctionē, vnicam adfert pro vtroq; Sacramento dispositionē, & tamen recipiet gratiam tum Sacramenti poenitentia, tum ex-

trēmæ vñctionis. ratio est quod concursus causarum non obstat quo minus dispositio, quæ sufficit, vt causa suum effectum possit inducere, eundē producat. Confir. dispositio solū requiritur vt aptetur subiectū, potest autem aptari per vnā dispositionem ad recipiendū effectum variarum causarum.

Obijcies contra conclusionem; Trid. sess. 21. cap. 3. dicit: *in super declarat & c. fatendum esse etiam sub alterā tantum specie totum atque integrum Christum, verūque Sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructū attingit, nullā gratiā necessariā ad salutem eos defraudari, qui vnā speciem solā accipiunt.* vbi ex eo quod totus Christus sit sub singulis speciebus, Concil. videtur concludere non fraudari gratiā.

Resp. 1. Concil. non dicere simpliciter, non fraudari gratiā, sed necessariā ad salutem, quod verum est, quamuis plus gratiæ conferatur per vtramque speciem, quam per vnā.

Resp. 2. Concilium non docere totum Christū esse sub singulis speciebus, vt inde concludat tantam, vel tantam gratiam conferri per hoc Sacramentum, sed vt instruat eos qui vigent communionem sub vtrāque specie, qui etiam inde mouentur, quod existiment Christum non esse totum sub vnāquāque specie: Duo ergo eo cap. docet Concil. prius est totum Christum esse sub vnāquāque, & propterea ex eo capite non posse meritō vigere communionem sub duplici specie. posterius, etiam sub vnā specie verum sumi Sacramentum, & idcirco fideles non fraudari gratiā ad salutem necessariā; de quā gratiā intelligendus est D. Th. in solutione 3. argumēti citatā, dicens enim ex summptione vnius solius speciei non sequi aliquid detrimentū, intelligit de detrimento rei ad salutem necessariā.

QVÆSTIO LXXXI.

De modo, quo Christus vsus est in hoc Sacramento?

ARTICVLVS I.

Virum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem?

AFFIRMAT, quod communiter docent Scholastici. probat ex Hieron. epist. 130. ad Edibiam, quæst. 2. ipse cominus, & coniuiui, ipse comedens, & qui comeditur. vbi cum velit Hieron. aliquid singulare designare, non solum vult Christum comedisse in cenā legali, vel vñcti, & in aliā instituisse conuiuium, in quo ipse met comederetur, sed quod in eodem actu fuerit comedens, & qui comederetur. idem etiam probabiliter suaderi potest ex eo quod Christus instituerit hoc Sacramentum per modum conuiuii, in quo inuitans solet cum inuitatis comedere. præterea verisimile est comedisse, ne discipuli horrent eius corpus sumere, cum audirēt: *hoc est corpus meum.* adde potissimam rationem esse quod Christus in vltimā cenā propriē sacrificauerit, & seipsum tãquam hostiam æternō Patri obtulerit, offerens autem debet participare de re oblata, igitur debuit se hostiam comedere, præsertim, cum ea non aliter consumeretur, vt etiam in eo doceret sacrificantem debere hostiam sumere. ex quo patet etiam Christum suum sanguinem sumpsisse.